

**Atsat shalom sive Dissertationis Theologicæ Textualis. Ex Zach. Cap. VI. v. 12.
13. Pars Posterior. De Consilio Pacis**

[Bern]: Ex Officina Typogr. Illustris. Reip. Bernensis. Per Andream Hügenetum, M DCC V

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876150520>

Druck Freier  Zugang





48

49. els.


Fa-1092 (48.)

1. Joach. Justus Kau de certitudine interpretationis sacrarum literarum. Region 1737.
2. Jon. Con. Schramm de Verborum Bibliorum verborum Helmsf. 1735.
3. Christi. Bernh. Trücher Observationes critico-philologicae in Gen. 1. Christi. 1716.
4. Sam. Asteri de Eva ex Adam costae aedificatione ad Gen. 11. 22. 22. 23. Refoch 167A.
5. Jo. Tronmiat de Cherubim et gladio flammante. ad Gen. 11. 24. Wittel 1661.
6. Jo. Daath Seraholous de protueangelio Paradiseo ad Gen. 11. 15. Oct. 1732. Gotting 1737.
7. Jo. Friedrici Cotta observationes ad Gen. 11. 22. Gotting 1737.
8. Christo. Wegleiter de serpente seductore ad Gen. 11. 1. 2. 14. Oct. 1697.
9. Franc. Fabricius de impositione nominis Sethi ad Gen. 11. 25. Lugd. Bat. 1712.
10. Jo. Guil. Naigerus de odore vestium Isaac ad Gen. XXII. 150. Act. 1706.
11. Jo. Christian Alumius de Messia in visione Jacobo adumbrato ad Gen. XXII. 12. Joh. 1. 51. Helmsf. 1720.
12. Jo. Friedr. Naigerus de admirabili Jacobo cum duobus sororibus coniugis ad Gen. XXII. Lugd. 167A.
13. Friedr. Christi Geffer de iuramento Josephi per vitam Pharaonis ad Gen. XXII. 15. 16. Region 1731.
14. Jo. Brickmuth hoc prodromus de vaticiniis Jacobaeo Gen. XXII. 8. 9. 10. 11. Gen. 1651.
15. Jon. Con. Schramm de hisopico paschali ad Gen. XII. 22. Of Lig. Joh. 21. 29. Helmsf. 1735.

16. Jo. Seb. Denzau de judaeorum veterum factatione ut religio-
sis ad Lev. XI. 20. xxxii. 6. 19. Lips. 1738.
17. Jo. Geo. Michaelis de duabus auctoritatibus purgationi
suis eorumque mysterio ad Levit. XIV. 1-8 Hal. 1737.
18. Jo. Christo. Wickmanns Hausen de corpore feisuffis et figuris non
cruentatis ad Levit. XXX. 28. Witeb. 1718.
19. Jo. Geo. Abichtus de sensorum Hebraeorum acquisitione
et officio servitio ad Levit. XXV. 29. Exod. XXII.
3. 1799. Math. III. 11. Joh. XIII. 4. Lips. 1702.
20. Petr. Jornius de manipulo primitiarum ex messe hordei
ad Levit. XXIII. 16. 17. 1 Cor. XV. 20. Col. 1. 17. Ed. 1700.
21. Christ. Kortholtus de Virga Aaronis florida ad
Num. XVII. 1. Kil. 1672.
22. Jo. Maier de virga Aaronis florida ad Num. XVII.
1. Witeb. 1680.
23. Abrah. Calovius de conversione Judaeorum ad Deut. IV.
30. Hof. XIII. 4. 5. 1 Thim. XI. 25. Apocalyp. XII.
6-10. Witeb. 1679. reusf. 1701.
24. Jo. Wich. Helligerus de vestibus etibus Israelitarum in de-
sero ad Deut. VIII. 4. xxix. 5. Neh. IX. 25. Witeb. 1676.
25. Christo. Schöneich de verbis Moysi Deuter. xxix. 29. Reg.
1721.
26. Jo. Geo. Abichtus de cubitis fascis ad Jos. V. 2. Lips. 1712.
27. Em. Tricar. Cobius de Sarcota ad Jos. XIX. 29. Witeb
1720. rec. Helmsf.
28. An. Dan. Habichtshornius de actu Gideon ad Jos. VII. 24. Hof. 1697.
29. Jo. Frühmuthus de venigmate Samson ad Jud. XIV. 14. Jan. 1652.
30. Jo. Adr. Schmidius de regina Auzri ad 1 Reg. X. 1. Hof.
Jan. 1693.

31. Jo. Trifschmidtus de Reine Prophetas nomine et prosapia
 Reg. XVII. 1. Jen. 1609.
32. Val. Flaerius de Schw relo. ad 2. Reg. X, Lips. 1605.
33. Jo. Ges. Abichtius de Goete Jobi ad Jobi XIX, 25-26-27. Lips. 1608.
34. Jo. Andr. Siegrus de formula 4177. 797-49 de Goete
informatio ad Job. XIX, 25. Lips. Died. 1707.
35. Franc. Wolkenius de 51728. in quo pendente fessis ad
Reg. XVII, 2. G. A. Wittel 1729.
36. Jo. Trifschmidtus de Messias in sepulchris non relinquitur
nullique corruptioni obnoxio ad Reg. XVII, 10. Jen. 1608.
37. Jo. Trifschmidtus de manuum pedumque Messias in eum
crucifixione perforatione ad Reg. XVII, 37. Jen. 1663.
38. Seb. Schmidius de rektione Messias ad Reg. XXV, 8. Aug. 1690.
reimp. Wittel 1738.
39. Jo. Leont. Reckenberger de specie domus ad Reg. XXVIII, 11.
15. Jen 1737.
40. Jo. Deutschmannus de Christi hominis ad dextram positus
ad Reg. CX, 1. Wittel 1662.
41. Nich. Boccini de Ornamento fessis ad Reg. CXVIII, 27.
Wittel 1677.
42. Programma de numine Spualis tutelari ad Reg. XXI,
Helmsf. 1732.
43. Jo. Christi. Hebenstreit de paxe super aquas mittendo. ad
Coloh. XII, 1. Lips. 1737.
44. Jan. Cor. Schramm de prophetis posterioribus Helmsf.
1734.
45. Jo. Christi. Ortlob de causis verbi divini non facili
ad Reg. VIII, 20. Lips. 1715.

46. Jo. Frischmuthus propaganda Messiae ad Jes. IX. 6. 44.
Jen. 1668.
47. Andr. Daniel Habichtshorstius de Domino super nube Levi equi
tan et Aegyptum intrante. ad Jes. XI. 1. Nov. 1689.
48. Jo. Andr. Darius de Judaeis proprio gladio jugulatus ad Jes.
LIII. Witeb. 1679.
49. Christo. Sontagius de novissimorum novissimo ad Jes. LXIV. 3.
(Cor. II. 9. Act. 1697.
50. Jo. Friedr. Siebitzi meditationes, quae religiam applicacionem
Neumanni ad Jes. ~~XXII.~~ XXII. examinal Hal. 1777.
51. Jon. Conr. Schramm de causis regni Christi in his
terr. ad Dauid VII. 79. 14. 9. 10. Helmsf. 1774.
52. Erndol. Friedr. Neubauerus de Michade Messia et
ipso Judaeorum septomium comprobato ad
Dauid XXII. XII. 1. Jud. v. 9. Apocaliff. XII. 7.
Giesf. 1739.
53. Jon. Conr. Schrammii novissimum prophetarum de novissim
voluntarium ad Dauid XII. 2. Helmsf. 1774.
54. Jo. Christo. Wesfius de juenior labiorum ad Rog. XIV. 3.
Witeb. 1711.
55. Jo. Friedr. Inagers de poenitentia bestiarum Viriuntica
ad Jon. III. 7. 8. Leip. 1670.
56. Mich. Procius de Rabbinis templum tercium tingentibus
ad Hag. II. 7. Witeb. 1677.
57. Jo. Andr. Quensperius de desiderio omnium gentium ad
Hag. II. 8. Witeb. 1668.
58. Sam. Leimonius de confessione pauci ad Eccl. VI. 12. 4.
13. Norn. 1705.
59. Jo. Johsi. Neunhertzi obsem. philol. in Nach. II. 15. 16. Leip. 1727.
60. Jon. Conr. Schrammii programma, quo defensio quedam
Dextakenti Worthheimianis expend. Hal. Helmsf. 1787.



50.
עצת שלום

sive

DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ
TEXTUALIS.

Ex Zach. Cap. VI. v. 12. 13.

PARS POSTERIOR.

De

CONSILIO PACIS.

*Quam speciminis locò pro consequendo S. S. Ministerij honore
summò Numine juvante*

SUB PRÆSIDIO

DN. SAMUELIS LEEMANNI,

V. D. M. S. S. Theologiæ in illustri Bernatam Athe-
næo Professoris publici, Mœcenatis ac Præceptoris
sui summis obsequijs colendi.

Publicè defendere conabitur

BEATUS LUDOVICUS à DIESBACH, Helv. Bern.
S. S. Theol. Stud.

Ad diem Februarij horâ locòq̃ solitis,



Ex Officina Typogr. Illustris. Reip. BERNENSIS.

Per Andream Hügenetum. M DCC V.



MOECENATIBUS,
FAUTORIBUS
ATQUE
AMICIS.



עצת שלום

DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ
TEXTUALIS

Ex Zachar. cap. VI. v. 12, 13.

Pars Posterior.

De

CONSILIO PACIS.

Thesis I.



Uod de Rege Philippo Persei parente
refert Romanæ Historiæ Scriptor ce-
leberrimus Titus Livius Decad. V.
Lib. 4. quòd fæderis cum Romanis
inici quotidie bis perlegendi institu-
tum ad ultimum usque vitæ diem
servaverit, id nobis cum Deo fæde-
ratis ostendit, quantò majori cum animi contentione
incumbendum nobis sit perlegendo utriusque Fæderis
divini instrumento, & quantò majori cum cura singu-
lis vitæ nostræ diebus meditanda nobis sint fædera, quæ
Deus in gratiam humani generis pangere voluit salu-
berrima; Quo in censu non tantum referendum divi-

A 2

num

56

num illud *gratia fœdus*, quod *fœderi operum* per peccatum violato ac dissoluto successit, quodque nihil aliud est, quàm *gratuita conventio inter Deum offensum & homines quosdam offendentes in aeterno grati consilio definitos*, in qua Deus ex libero & mero beneplacito suo, non tamen sine Christo Mediatore salutem h. e. *justitiam & vitam* addixit *credentibus in eundem Christum & resipiscentibus*: atq; hi *vicissim fidem & resipiscentiam* Deo per *gratiam Christi præstandam* spondentes ab eodem *justitiam & vitam* expectandi jus consequuntur: sed etiam, quod hujus est fundamentum & origo, *Fœdus illud aeternum Patrem inter & Filium*, quod est *mutua Patris cum Filio conventio*, quâ Deus Pater à Filio *perfectam obedientiam Legis usque ad mortem pro homine præstandam stipulatus est*, & eidem præstanti *hereditatem* promisit, & *vicissim Filius obedientiam illam Deo Patri spondens & actu præstans* ab eodem jus *hereditatem illam postulandi restipulatus est*. Atque hoc est illud *Consilium Pacis inter Jehovam Exercituum h. e. Deum Patrem, & inter Virum Germin h. e. Filium*, de quo olim vaticinatus est Zacharias cap. VI. v. 12. 13. & de quo præsens jam nobis instituta est *Dissertatio*.

II.

In ijs, quæ præcesserunt, *Dissertationibus* abundè satis demonstratum fuit, *Zachariam Prophetam* in *Revelationum suarum capite sexto versu duodecimo & decimo tertio nomine Viri-Germinis* intelligere *Messiam, Filium Dei Θεῶν Γερμίνων*. De eo autem ita hîc vaticinatur, ut explicatâ ejus *persona ac officio* triplici, *Prophetico, Sacerdotali, & Regio*, & assertâ ejusmodi triplicis muneris *functione gloriosa* tandem etiam *gloriæ illius fontem & originem* aperiat in aeterno illo *Pacis Consilio*
five

56.
sive *fœdere*, quod maximus ille *Exercituum Jehova* cum
Filio suo *Viro. Germine* ab æterno pepigit, & in quo de
salute electo semini acquirenda ita cum eo transegit, ut
vel ex ipsa *Messia gloria & honore* coronandi dignitate
summa & ex gloriosa illa triplicis muneris functione
designatâ per *coronas* illas capiti *Messia* imponendas, &
per *thronos* illos, in quibus ipse collocandus erat ad
dextram Patris cœlestis, appareat, *Messiam* illum per
Spiritum Propheticum olim prævisum atque prædictum
ea omnia revera præstiturum & jam actu præstitisse,
quæ *Pater Cœlestis* à *Filio suo Viro. Germine* stipulatus
est, & quæ *Vir. Germen* præstanda in se recepit. Hæc
autem omnia non sine insigni emphasi exprimit Pro-
pheta, cum ait: ועצת שלום תהיה בין שניהם *Et Con-*
silium Pacis erit inter eos ambos.

III.

Equidem non desunt, fatebor enim, Interpretes
ijque longè doctissimi, qui ex futuri temporis verbo
תהיה *erit* concludere malunt, in hac pericopa *eventum*
potius describi, quàm verò *fontem & originem* illius
gloria, quâ coronandus erat suo tempore *Messias*. Ve-
rùm enim verò non novum neque insolitum hoc est
apud Prophetas, ut illud demum *futurum* dicatur, quod
jam olim factum, & quod in consilio divino jam ab
æterno constitutum est; frequens est apud Prophetas
& in Scriptura Prophetica *Enallage præteriti* vel *presentis*
pro *futuro*, ut cum *Esa. IX. v. 6.* Puer nobis *natus* & fi-
lius nobis *datus* dicitur, qui tempore præstituto certò
nasciturus erat; ita frequens etiam est *Enallage futuri*
pro *præterito*, ut illud demum *futurum* dicatur, quod
tale declarabitur, licet jam olim factum fuerit; ita juxta

A 3

stylum

Stylum Sacrae Scripturae res saepe dicuntur fieri, quando tales esse declarantur: ita hic quod ab aeterno factum est *Pacis Consilium* inter Deum Patrem & Virum Germen sive Messiam, futurum dicitur eo tempore, quo Messiae *Propheta*, *Sacerdotis* & *Regis gloria* futura est conspicua, quia vel ex hac conspicuum erit, tale jam ab aeterno agitatum fuisse Patrem inter & Filium *Pacis Consilium*.

IV.

Reperiuntur tamen haud pauci sive *Judaei* sive etiam *Christiani*, qui tale aliquod *Pacis Consilium* hic intelligi pertendunt, quod post hujus demum prophetiae complementum locum habiturum fuit: undè magno conatu hoc *Pacis Consilium* ad quidvis aliud potius quam ad aeternum illud gratiae consilium referendum censent. Sed frustraneus est omnis ille conatus, ut accuratius singulorum ejusmodi interpretamentorum examen docebit. *Judaei* quidem hanc pericopam de summa pace & amicitia interpretantur, quae futura sit inter *Jehosua* *Sacerdotem* & inter *Sorobabelem principem* sive *Regem*: ita enim *R. Schelomo Jarchi* verba explicat: זה את זה וזה את זה וזה את זה וזה את זה h. e. *Princeps & Sacerdos se mutuo amabunt*: & *R. David Kimchi*: כי לא יקנא זה את זה וזה וזה וזה וזה h. e. *quia non invidabit alter alteri, sed ambo illi consentient, ut unus aliquis in eo quod facient*. Verùm nos antehac jam ostendimus, *Prophetam* hoc loco de *Messia Viro-Germine* fuisse vaticinatum, cujus typi fuerint & *Sacerdos Jehosua* & *Princeps Sorobabel*, ita ut una eademque debnerit esse persona, quae & tanquam *Rex in throno*, & tanquam *Sacerdos in solio sessura* erat. De hoc autem *Messia Rege & Sacer-*

Sacerdote ita hinc vaticinatur Propheta, ut inter ipsum & alium aliquem ab eo distinctum tale aliquod *Pacis Consilium* futurum declararet, qui sanè non potest esse alius quàm ipse *Jehova exercituum*, cujus mentionem quoque fecit Propheta, cujus *Germen* futurus erat Messias, & in cujus *throno* tanquam *Rex & Sacerdos* hic ipse Messias sedurus erat.

V.

Sunt ex *Judeis* alij, qui hanc quidem prophetiam de futuro *Rege Messia* intelligendam concedunt, sed eandem quoque de *Pontifice* ei coætaneo explicandam pertendunt, & de mutua inter hunc & Messiam illum concordia, ac si nulla inter eos futura sit invidia, nulla inimicitia. Verùm modò ostendimus, non de duabus sed de una tantùm persona hinc esse sermonem, quæ *Sacerdos* pariter & *Rex* futura sit. Quod observantes *Christianorum* Interpretum nonnulli *Consilium* illud *Pacis* inter duos de duobus muneribus intelligunt, *Regnò* scilicet & *Sacerdotiò* in una Christi persona sociandis; ita sanè *Calvinus* judiciosissimus aliàs interpret non de diversis personis, quæ pacem inter se culturae sint, sed potius de rebus ipsis Prophetam hic differere statuit, ita ut illa *pax* futura sit inter officium *Regium* & *Sacerdotale* in una eademque persona h. e. in *Messia* jungendum, vel, ut alij volunt, *pax* *Ecclesiae* procuranda sit à *Messia*, qui duplici hoc munere hactenus distincto satis debuit esse insignis. Verùm non ita facile persuaderi possumus, ut *pacem* hanc de muneribus potius quàm de personis esse intelligendam censeamus; cùm si vel maximè per *pacem* talis hinc conjunctio denotari posset, *Pacis* tamen *Consilium* ejusmodi muneribus attribui nequeat, in quæ
nulla

nulla cadit deliberatio, qualis tamen suo modo in omni
Consilio locum habere videtur.

VI.

Sunt adhuc alij ex *Judæis*, qui *Consilium* istud *Pacis*
inter duos illos futurum intelligunt de *Judæis Hierosolymi-*
tanis & Babylonijs - inter quos tale futurum hinc promit-
tatur *Pacis Consilium*, ut à se invicem nequaquam ab-
horreant, nec odio se mutuò prosequantur, quomodo
odio olim Samaritanos persecuti sunt Judæi. Quam
explicationem ipso etiam facto & eventu comproba-
tam volunt, cum concordēs etiam facti sint, nec *Baby-*
lonios amplius contempserint *Hierosolymitani*, sed maxi-
mi potius eos æstimaverint, ita ut ab ijs veram doctri-
nam servatam arbitrati sint, suosque ab ijs doctores ac-
cipere haud sint dedignati. Ad eundem ferè modum
Christianorum Interpretum plurimi per duos illos intel-
ligunt *Judæos & Gentiles*, qui unanimi consilio ad unam
Christi Ecclesiam congregandi sint sublato illo pariete
intergerino, qui *Judæos* hactenus à *Gentibus* distermi-
nabat. vid. Eph. II. v. 13. 14. 15. 16. Fatemur sanè de
Gentium quoque ad Ecclesiam Christianam aggregatio-
ne vaticinatum fuisse Prophetam Zachariam cap. VI.
v. 15. eoque etiam respicere Paulum in loco modò alle-
gato Eph. II. v. 13. Sed tamen ut per duos illos Judæos
& Gentiles intelligamus, inter quos futurum sit illud
Pacis Consilium, ipse sanè contextus non patitur, nam si
hæc verba cum præcedentibus jungamus, ut nexus
omnino postulat, ille sanè requirere videtur, ut perso-
næ distinctæ in hoc ipso vaticinio commemoratæ distin-
ctè etiam hinc designatæ intelligantur. Illæ autem di-
stinctæ

56.
distinctæ personæ sunt 1. *Messias Vir Germen*, qui ædificaturus erat templum Domini, & qui tanquam Sacerdos & Rex sessurus erat in throno. 2. *Jehova* sive Dominus exercituum, cujus futurum erat templum illud, quod ædificaturus erat Messias, & cujus futurus erat thronus ille, in quo Messias tanquam Rex & Sacerdos sessurus erat.

VII.

Ita sanè *קדוש* duos illos Jehovam & Virum Germen, Patrem & Filium ex *Christianis* interpretantur Recentiorum Interpretum haud pauci, Theologi longè celeberrimi, quorum sententia meritò quoque nobis præferenda videtur; non ideò sanè quòd nova sit, quamvis nec nova dici queat, quam vetustissimus ille ac doctissimus Sacræ Scripturæ interpres omnisque elegantioris literaturæ promocondus *Hieronymus* suo jam tempore obtinuisse docet, dum in libro cujusdam se legisse fatetur, qua ratione etiam istud *Pacis Consilium ad Patrem & ad Filium* referatur: ita enim loquitur Vir ille doctissimus in suo in hunc locum Zach. VI. Commentario: *Ipsè & Rex & Pontifex est, & sedebit tam in Regali quàm in Sacerdotali throno, & Consilium pacificum erit inter utrumque, ut nec regale fastigium Sacerdotalem deprimat dignitatem: nec Sacerdotij dignitas regale fastigium: sed in unius gloria Domini Jesu utrumq; consentiat. Legi in cujusdam Libro hoc quod dicitur: Et Consilium pacificum erit inter duos, ad Patrem referri & ad Filium: quia non suam, sed Patris venerit facere voluntatem: & Pater in Filio sit, & Filius in Patre.* Hactenus Hieronymus: vid. Oper. Hieron. tom. V, p. m. 246.

B

VIII Sed

Sed vel ideò maximè posterior hæc sententia præferenda nobis videtur, quòd explicatio ista non tantùm cum analogia fidei consentiat, sed & cum toto prophetiæ illius contextu & scopo optimè conveniat: cum & alibi Scriptura *æternum* ejusmodi *pacis inter Patrem & Filium Consilium ac pactum* innuat, & revera tale *Pacis Consilium* initum sit ab æterno *inter personas Sacrosanctæ Trinitatis* de mittendo in mundum Messia & de Filio ad salutem Ecclesiæ glorificando. Novimus equidem, Celeberrimum Coccejum & qui eum hîc sequuntur, *Consilium* istud *Pacis inter Patrem & Filium* à Propheta Zacharia hîc memoratum de eventu potiùs interpretari & de effectu intercessionis illius ac sessionis in throno, ac si hoc *Pacis Consilium* nihil aliud esset quàm voluntas divina tollendi inimicitiam illam, quæ hætenus obtinebat inter Gentes per parietem intergerinum, h. e. per Sacerdotium Aharonicum à Judæis separatas atque distinctas, unde hanc etiam volunt esse causam, cur *Consilium* istud non ut præteritum, sed ut *futurum* demum describat Propheta. Sed ut dictum §. III, *Res sæpè in Scripturas demum fieri dicuntur, quando declarantur esse*: ita *futurum* dicitur inter Patrem & inter Filium *Pacis Consilium*, quando gloriosa Messia exaltatio tale aliquod jam ab æterno inter eos intercessisse *Pacis Consilium* ostendit: nec insoilium est Spiritui Sancto in Scripturis Decretum Dei æternum *Consilij* nomine designare: ita quoque non difficile est intelligere, cur *Consilium* istud dicatur *Consilium Pacis*, quia nempe non nisi inito inter Deum & Messiam fœdere *Pacis* spes esse poterat homini peccatori, cui Deus ex justitia sua & veracitate non

non nisi interveniente satisfactione poterat esse propi-
tius, quam juxta illud *Pacis Consilium* praestiturus erat
Messias. Verum de aeterno hoc *Pacis Consilio* lubet pau-
lò distinctiùs agere.

IX.

Cùm Deus non sit nisi purissimus actus, non tan-
tùm in tempore, sed jam ab aeterno actuosissimus fuit:
ita nihil vult, nihil agit in tempore, quod non ab aeter-
no quoque voluerit ac decreverit se facturum, & qui-
dem eo modo, quo illud fieri videmus, juxta illud Esa.
XIV. 24. כאשר דמיתו כן תחיה וכאשר יעצתי היא תקום
sicut delineavi (ab aeterno scilicet) ita existet, & sicut con-
sulvi (h. e. ab aeterno decrevi, ita) illud stabit h. e. in
tempore fiet, & ratum erit. Ita in Scholis distinguunt
inter ea, quæ Deus agit in tempore, quò pertinet *Crea-*
tio, Conservatio ac Gubernatio omnium, & inter ea, quæ
Deus egit ab aeterno, quæ vulgò *Decretorum Dei* nomi-
ne veniunt. Quamvis autem hæc in Scriptura diversis
nominibus exprimentur, quamvis etiam varia fiant in
tempore, quæ inter se revera distincta sunt, non tamen
varij idèò in Deo statuendi sunt decernendi ac volendi
actus, quamvis vel maximè tales aliquando in Deo pro
nostro concipiendi modo & ad captum nostrum con-
cipiamus: nam si memores simus, *cogitationes Dei non*
esse sicut cogitationes nostras & vias Dei non esse sicut vias no-
stras. Esa. LV. 8. facile judicabimus, in Deo qui Spiri-
tus est infinitè perfectus, qui simplicissimus est ac pu-
rissimus actus, non nisi unam & simplicissimam esse
cogitationem, non nisi unum & simplicissimum cogi-
tandi actum ab aeterno in aeternum, quem tamen Scri-
ptura pro nostro concipiendi modo varijs similitudini-

bus illustrare, varijs nominibus designare, ac per partes etiam varias distinguere & explicare solet.

X.

Usitatissima aliàs in Scholis *Decreti* vox Latina eo quidem sensu non ita facilè reperitur in Scriptura Sacra: quamvis enim alicubi in Versione Vulgata vox ista *Decreti* reperiatur, non eo tamen sensu, quo in Scholis pro definito Dei *Consilio* usurpatur: Equidem Psal. II. 7. eo sensu occurrere videtur vocabulum קִרְיָהוּ quod Latine *Decretum* notat, sed id tamen Vulgatus non *Decretum*, sed *statutum* vertit: adde quod impropria planè sit hæc *Decreti* vox, nec nisi metaphoricè & per ἀνδροποπράξια Deo attribui queat: undè quod in Scholis aliàs *Decretum* vocant, id veriùs alij *Consilium Dei aeternum* dicunt de rebus extra ipsum futuris, quamvis ipsum etiam *Consilij* vocabulum imperfectionem aliquam involvat, & proinde Deo etiam propriè & accuratè loquendo attribui nequeat, in quo nulla est ignorantia, nulla deliberatio, qualis tamen in omni *Consilio* locum habere videtur. Non semel tamen eo sensu de Deo usurpatum occurrit *Consilij* vocabulum: ita enim Act. IV. 28. vocatur βελὴ τῆ Θεῶν *Consilium Dei*: & Act. II. 23. ὁρισμὸν βελὴ *definitum Consilium*: Hebraicè קָצַף אֶת הַיָּדָיִם *Consultavit* Esa. XIV. 24. 26. eodemque etiam sensu vocatur קִרְיָהוּ *plasmatio, formatio* Esa. XLIII. 7. unde קִרְיָהוּ *idea* in mente Dei formata: מַחְשַׁבְתּוֹ *Cogitatio* Esa. LV. 8. eòdem etiam referunt nonnulli מַחְשַׁבָּה *molitionem* sive *machinationem, qua* מַחְשַׁבָּה h. e. *operi* opponatur Esa. V. 12. & XLI. 4. Sed nobis vox ea ad *decretorum* potiùs *executionem* quàm ad ipsum *Decretum* referenda videtur, sicut & רַכִּי יְהוָה *Via Jehova*, quarum in Scriptura mentio fit Esa.

Esa. LV. 8. Prov. VIII. 22. ad executionem potius *Decretorum Divinorum* referri posse videntur.

XI.

Rectius ad *eternum illud Dei Consilium* præter *Hebræa & Græca Consilij* vocabula modò indicata alia quoque referantur, quæ hinc indè in Scriptura Sacra sive *Hebræa* sive *Græca* occurrunt: ut sunt *ἡ θέλησις* *Beneplacitum* *Psa. CXV. 3.* *ἡ θέλησις* *Voluntas Psa. XL. 9.* *ἡ θέλησις* *Voluntas Rom. IX. 18.* *ἡ εὐδοκία* *beneplacitum Matth. XI. 26.* *ἡ εὐδοκία* *τῆς Θεοῦ* *Beneplacitum Dei Eph. I. 9.* *ἡ εὐδοκία* *τῆς Θεοῦ* *Beneplacitum voluntatis ejus, ib. v. 5.* *ἡ πρόθεσις* *Propositum Rom. IX. 11. 2.* *ἡ πρόγνωσις* *Præcognitio Rom. VIII. 29. & XI. 2.* *ἡ προορισμός* *Prædestinatio Act. IV. 27. 28. Rom. VIII. 29. 1. Cor. II. 7.* *ἡ ἐκλογὴ* *Electio Rom. IX. 11. & XI. 7.* quæ vocabula pleraque è medio foro petita sunt, atque pro nostro concipiendi modo distincta veluti momenta nobis proponunt *Consilij illius divini atque deliberationis æternæ.* Ita enim e. g. *Rom. VIII. v. 28. 29. 30.* commemoratur 1. *ἡ πρόθεσις.* 2. *ἡ πρόγνωσις.* 3. *ἡ προορισμός* & sed *Eph. I. v. 4. 5.* nominatur 1. *ἡ εὐδοκία* *τῆς Θεοῦ*. 2. *ἡ ἐκλογὴ.* 3. *ἡ προορισμός.* & v. 11. appellatur 1. *ἡ πρόθεσις.* 2. *ἡ θέλησις* *τῆς Θεοῦ*. 3. *ἡ προορισμός.* Ita vicina sunt & affinia τῇ *ἡ πρόθεσις* ἢ *ἡ εὐδοκία,* τῇ *ἡ πρόγνωσις* ἢ *ἡ ἐκλογὴ,* τῇ *ἡ προορισμός* ἢ *ἡ ὁμοιομοιότης* *Eph. I. 10.* Inter quæ vocabula fortè non incommodè hæc à Nonnullis differentia observatur, quod *ἡ πρόθεσις* *finem* respiciat, *ἡ πρόγνωσις* *objecta,* *ἡ προορισμός* *media:* *ἡ πρόθεσις* *cæcilitudinem,* *ἡ πρόγνωσις* *singularitatem,* *ἡ προορισμός* *ordinem:* *ἡ πρόθεσις* *eventum,* *ἡ πρόγνωσις* *personas,* *ἡ προορισμός* *executionem:* Quod *ἡ πρόθεσις* *rei firmitudinem* designet, *ἡ πρό-*

γνωσις cognitionem practicam, quæ amorem includit, cujus proprium est eximium inter personas discrimen statuere: Προορισμός autem ordinem & modum executionis notet. Tria autem hæc distincta vocabula de ipso etiam Christo usurpantur: Προθεσις scilicet Rom. III. 25. Προγνωσις I. Pet. I. 20. & ὀρισμός Rom. I, 4. Act. X, 42. Act. II. 13. præpositio autem πρὸ toties in hoc negotio adhibita non tantum Consilij istius divini aternitatem notat, sed ostendit etiam præter unum & solum Dei beneplacitum nullum esse aliud voluntatis divinæ motivum neque fundamentum quærendum in operibus vel in ulla alia qualitate, quam Deus providerit.

XII.

Habent sanè omnia ista vocabula, quibus in describendo isto Dei consilio utitur Spiritus S. peculiarem emphasin, præ reliquis tamen huic mysterio pro captu nostro explicando inserviunt usitata hæc Consilij, Fæderis, sive Pacti fæderalis & Testamenti nomina, qualia sunt πᾶν Βελή τῆς Διαθήκης. Quorum proindè explicationem hîc quoque præmittemus, indeque ut ad accuratorem Decretorum Divinorum explicationem pergamus, distinctius ea sub notione Consilij, Pacti vel Fæderis inter tres SS. Trinitatis personas considerabimus: inter Patrem & Filium, de quo Zacharias hîc expressè loquitur, ejusque naturam & partes ita delineaturi sumus, ut inde tota ratio Fæderis gratiæ, Testamenti aterni, Electionis Gratiæ, Sponsionis & Redemptionis Mediatoriæ, ac tota etiam Veteris & Novi Testamenti æconomia eò manifestior nobis evadat.

XIII.

Ita in Sacra Veteris & Novi Testamenti Scriptura
non

non semel Deo *Consilium* tribuit Spiritus Sanctus. quod
 Hebraicè נָסַח vocatur à נָסַח *Consuluit* : Græcè autem
 βελή (undè βελεύεσθαι & συμβελεύειν) à verbo βέλομαι
 volo, nec enim in Deo *Voluntas* est sine *Consilio*, nec *Con-*
silium sine *Voluntate*. Est autem *Consilium* aliud, quod
 Deus dat & præcipit hominibus, undè idem notat quod
Præceptum Dei Luc. VII. 30. aliud quod ipse Deus sumit
 (non ab hominibus, nec enim homines Deo possunt esse
 à *Consilio* Rom. XI. 34.) sed à se ipso, & quod in se ipso
 format Deus : Ita *Consilium* in Deo sapientissimam de-
 liberationem involvit, non talem quidem qualis in ho-
 minibus ex ignorantia originem ducit, & cum vario va-
 riarum cogitationum discursu solet esse conjuncta, sed
 talem potiùs, quàm in ijs quæ ab æterno decrevit, ut in
 tempore fierent, ita potentiam suam manifestare voluit
 Deus, ut summa semper Sapiencia ac pulcherrimus re-
 rum ordo in omnibus conspiceretur. Ita summa sem-
 per Dei gloria in æterna illa *Consilij* divini formatione,
 & in ejusdem quoque executione in tempore manifesta
 evadit.

XIV.

Hancce *Consilij* Divini in sapientissimo ac perfectis-
 simo Deo gloriam, qui probè perpenderit, is facile quo-
 que concipiet, 1. æternum esse *Dei Consilium*, 2. unicum,
 3. efficacissimum, & 4. immutabile, 5. universale etiam,
 & simul 6. specialissimum. 1. *Æternum* dicimus *Dei*
Consilium, quia hæc est summa Dei Entis actuosissimi
 gloria, quòd non tantùm ab æterno cognoscat ea, quæ
 in tempore facere possit, h. e. quæ sint possible, sed &
 ea quæ in tempore facere velit, h. e. quæ reverà futura
 sint, & quidem ea cum decentia & sapiente omnium
 ordina-

ordinatione, quæ summam Dei sapientiam ac sanctitatem deceat, atque eo quo decet modo gloriam ejus illustrare queat. II. *Unicum* etiam est istud *Dei Consilium*, quamvis ad res omnes se extendat idem, & res etiam plures in *eterno Dei Consilio* sint decretæ, & mens quoque nostra pro nostro concipiendi modo varias sæpè *Consilii* istius partes fingat. Quemadmodum enim unus est Deus, pro arbitrio suo omnia disponens, unus intellectus, una voluntas, nec intellectus à voluntate, nec voluntas ab intellectu est distincta, ita in Deo est unus idemque purissimus actus, nec in perfectissimo Deo ullum concipi momentum potest, quo non tanquam purissimus actus omnem, quæcunque cogitari potest, perfectionem reapse contineat.

XV.

III. Eodem quoque sensu *Efficacissimum* dicimus *Consilium Dei*: Nisi enim *Decreta Dei* summè forent *efficacia*, & suum semper effectum consequerentur, vel id fieret, vel quia *non posset* Deus executioni mandare quod decrevit, vel quia *non vellet*: Prius illud pugnaret cum summa & infinita Dei potentia: Posterius autem mutabilem argueret Deum. Nos autem IV. *Immutabile* quoque statuimus *Dei Consilium*, quia Deus ipse & quoad essentiam & quoad voluntatem suam immutabilis est. Hanc autem *Consilij Divini Efficaciam & Immutabilitatem* Scriptura non uno loco inculcat. *Consilium meum stabit & omne meum beneplacitum faciam*, Esa. XLVI. v. 10. *Ut facerent quæcunq; manus tua & Consilium tuum prædefinivit, ut fierent*, Act. IV. 28. *Consilium Domini, hoc stabit*, Prov. XIX. 21. *Deus noster est in caelo, omnia quæ voluit, fecit*, Psal. CXV. 3. *Omnia quæ vult Dominus, facit*

in caelo, & in terra, & omnibus abyssis Psal. CXXXV.
6. Juravit Jehova Deus Exercituum, dicendo: Si non quemadmodum cogitavi vel delineavi, ita existit, & quemadmodum consului, illud ipsum stabit vel stat. Esa. XIV. 24.
Nec tamen ideò existimandum est, per summam hanc Decreti atque Consilij Divini Efficaciam rebus omnibus etiam Voluntarijs & Liberis fatalem quandam & internam necessitatem imponi: Nec enim alia indè quàm eventus certitudo & necessitas extrinseca concludi potest, quæ Libertatem potius ponit quàm tollit. Tantum enim abest, ut Voluntas Dei res omnes dura ac fatali necessitate constringat, ut ea potius omnis libertatis & contingentiæ, quæcunque in rebus est, unica causa sit: nisi enim Deus & supremum aliquod numen existeret, & nisi ipse esset agens summum atque liberrimum, ne umbra quidem libertatis esset in creaturis, sed omnia cecâ necessitate ferrentur, & nulla causa liberè ageret.

XVI.

Ita assertâ atque explicatâ Consilij Divini immutabilitate & efficacîâ, apparet, quid judicandum de illa Scholasticorum quorundam distinctione, qua Decreta aliquando in Efficacia & Inefficacia, in Absoluta & Conditionata distinguunt, quorum ista à libera hominis voluntate ita volunt esse suspensa, ut non aliter quàm per Scientiam illam, quam Conditionatam quoque atque Mediam vocant, prænosse queat Deus, quis eorum futurus sit eventus. Nos equidem non negamus, quòd qui res futuras in sapientissimo suo Consilio decrevit Deus, media quoque decreverit & conditiones, sub quibus res istæ futuræ erant: sed ita quidem Res decretæ sunt conditionate, hoc est, ordinatæ sub

C

cercis

certis conditionibus; sed quia has ipsas condiciones Deus etiam absolutè decrevit & efficere voluit, *Decreta* ideò non *Conditionata*, sed *Absoluta* potius statuenda sunt: Quod enim *conditionatum* est, id ipsum quoque est mutabile; ac verò *Consilium Dei* diximus esse *immutable*: Ut ita *Decreta Dei Conditionata* non uno modo in summas Dei perfectiones impingant, creaturam à Deo independentem summamque Dei voluntatem à Creatura non uno modo determinabilem statuant.

XVII.

V. *Universale* quoque diximus istud *Dei Consilium*, idemque simul *Specialissimum*: *Universale* quidem est, quia objectum Consilij istius est illud omne quod Deus fecit, & quod impofterum facturus est; ita enim nihil fit, & nihil quoque fiet sive in natura sive in gratia, quod non ab aeterno quoque in aeterno isto *Dei Consilio* fuerit prædefinitum. *Universale* ergò dicimus *Dei Consilium*, ut summam ejus *amplitudinem* indicemus: sed ideò *Generale* esse & *indefinitum* *Dei Decretum* negamus, quod tamen nonnulli volunt, ac si talia essent in Deo admittenda *Decreta*, quæ solas personarum *qualitates*, non verò ipsas *personas* concernerent. Nos verò è contrariò *Dei Decretum Specialissimum* censemus. E. G. *de fide* vel *salute Petri, Pauli, &c.* Si quæ verò *Decreta Generalia* indè formare solent homines, e. g. *de salute omnium credentium, &c.* id fit pro nostro concipiendi modo, quia ex ejusmodi exemplis particularibus *conclusiones universales* formare solemus. Quemadmodum enim mentis nostræ quædam est infirmitas, quòd *ideas universales* formemus, quia de pluribus speciebus vel individuis eodem modo cogitamus, ita in Deo

Deo ejusmodi *Idea Universales* statuendæ non sunt, & proindè neque *Decreta* ejusmodi *Universalia* eidem sunt tribuenda.

XVIII.

Quamvis autem *unicum* propriè sit *Dei Decretum*, quia tamen in *Consilio Divino* varias pro nostro concipiendi modo concipimus partes, puta aliud concipimus *Decretum de fine*, aliud *Decretum de medijs*, quia res quoque *decreta* variæ sunt, hinc etiam varia *Dei decreta*, & certus *Decretorum Divinorum* ordo concipi solet: de quo *Decretorum Divinorum ordine* non tantum variant *οἱ Πεδαγυγιστοὶ Sociniani, Arminiani, Jesuitæ*, sed & inter ipsos *Reformatæ Religionis Theologos* non eadem est de numero & ordine *Decretorum Divinorum* hypothesis. Sed tota hæc lis non incommodè forsan componi poterit, si totum istud de *Rebus futuris Decretum Creationis, Providentiæ, Prædestinationis & Electionis* ad instar *Consilij Divini* concipiamus à tribus SS. *Trinitatis Personis* ita formati, ut singulæ quidem SS. *Trinitatis personæ* partes quasdam in se susceperint, pro nostro quidem concipiendi modo distinctas, sed tamen ita simul *Consilio Divino* decretas ac definitas, ut manifestum satis sit, ejusmodi ordinem, qualemcunque hîc fingere velint, nullum hîc habere potuisse locum. Ita tamen non incommodè *Consilium Dei* in *Generale & Speciale* distingui potest. *Contium Dei Generale* est *Decretum Generale Creationis & Providentiæ*, hoc est, rerum in tempore creandarum, conservandarum & gubernandarum æterna præfinitio; eòque etiam pertinet *Decretum de permittendo peccato*, quod ita explicandum est, ut nulla Deo peccati labes. Homini verò omnis

injustitia, quæ in peccato locum habet, adscribatur. *Decretum* verò *Speciale* est *Decretum Prædestinationis*, & *Consilium exercenda vel gratia vel ira* in creaturis intelligentibus glorificandis vel damnandis: undè *Electionem* & *Reprobationem* complectitur.

XIX.

Non abs re ergò *Decreta Divina* sub notione *Consilij*, *Pacti* vel *Fæderis* inter plures SS. Trinitatis personas consideramus: Eiusmodi sanè *Consilium* manifestissimè nobis aperit vel primum S. Scripturæ caput, ubi in creatione primi hominis ita locutus introducit Deus Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem nostram secundum similitudinem nostram, qui dominetur in* — & v. 27. *Itaq; creavit Deus — creavit eos.* In quibus verbis continetur divina *Ἐγκέλευσις* & divinum personarum SS. Trinitatis alloquium, quò se mutuò excitant ad executionem divini illius consilij, quò ab æterno hominem creare constituerunt ad imaginem suam. Nec enim putandum, aliam ob causam Deum hîc loqui de se in *numero plurali*, quàm quia fuerunt plures SS. Trinitatis personæ, quarum consilio & operâ creatus est homo, ut hinc appareat *consilio Trinitatis creatum esse hominem*, inquit Ambrosius: & jam olim *Concilium Syrmiense* anathemate feriebat eos, qui negabant hæc verba: *faciamus hominem*: esse Patris & Filij. vid. *Barthol. Carrantz*, in *Sum. Concil.* p. m. 157. *Socrat.* Lib. 2. cap. 25. sed & divinarum personarum inter se alloquium hîc proponi, quod *consilium æternum* inferat, ex eo manifestum est, quòd *creationis* opus in Scriptura & *Patri* & *Filio* & *Spiritui Sancto* attribuatur: ita enim *Pater Creator* dicitur Eph. 3. v. 9. & *Deus Filius* Col. 1. v. 16. Heb.

Heb. 1. v. 8. 10. & denique *Spiritus S.* Job. 33. v. 4. Psal. 104. v. 30. & simul *tres persone* Psal. 33. v. 6. *Verbo Jehova Cæli facti sunt, & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum.*

XX.

Quod si verò in *creatione Adami & Evæ* ejusmodi *Personarum Divinarum Consilium* manifestatum fuit, inde quoque haud minùs manifestè colligi potest, tale etiam *consilium seu pactum tres inter SS. Trinitatis personas* transactum fuisse in æterno illo Consilio, quod de *Christo & Ecclesia* agitavit Deus, cùm *creatio* ex intentione Deitypus fuerit *Redemptionis, Regenerationis & Creationis novæ fidelium*, quorum caput est *Christus*; hinc fideles redempti *novæ creature* dicantur 2. Cor. 5. v. 17. & *Dei opus, creati in Jesu Christo ad bona opera* Eph. 2. v. 10. *Adamum* etiam illustrem fuisse *Christi typum* Paulus docet Rom. 5. v. 12. *Evam, typum Ecclesiæ* 2. Cor. 11. v. 3. & *Adami cum Evæ Conjugium typum pariter & imaginem conjugij live communionis spiritualis inter Christum & Ecclesiam* 1. Cor. 6. v. 17. & 12. v. 27. Eph. 5. v. 23. 24. 25. 29. 30. 31. 32. Hinc *Christus Sponsus & Ecclesia sæpè Sponsa* audit, & eorum societas emblemate *Conjugij* toto ferè Cantico & Hof. 2. v. 19. adumbratur. Quod si ergò *Consilium divinarum personarum* locum habuit in typo, h. e. in *creatione Adami & Evæ*, multò magis ejusmodi *Consilium Personarum divinarum* locum habuisse necesse est in *τὸ ποδείσθῃ*, unde non immeritò *novus homo* creatus dicitur *secundùm Deum in iustitia & vera sanctitate vel sanctitate veritatis* Eph. 4. v. 24.

XXI.

Ejusmodi etiam *Consilium seu Pactum* inter *Personas*

sonas SS. Trinitatis manifestè innuit Psalter, Psal. 2. v. 7. quando Messiam Regem unctum super Sion ita introducit loquentem: *אספרה אל הוק* Narrabo statutum, decretum, pactum seu *foedus*: quod Paraphrastes Chaldaeus vertit *אשתעי קימא* Narrabo Pactum, Juramentum, *Foedus*. Ita nempe alibi quoque Spiritus Sanctus *הוק* statutum, decretum, explicat nomine ברית *foederis*, Psal. 50. v. 16. Impio dicit Dominus, quid tibi ut enarres *הוק* statutum meum? & assumes בריתי *foedus* meum in ore tuo? Sed ut in specie ostendamus, quomodo locus iste, qui de aeterna Filij Dei generatione propriè loquitur, tale etiam consilium sive *foedus* innuat inter personas SS. Trinitatis, locus iste paulò diligentius nobis excutiendus erit. Locum istum de Messia Filio Dei intelligendum non tantùm divina & infallibilis N. T. autoritas manifestè docet, sed & facti id ipsam olim fuerunt Rabbiorum antiquissimi, quicquid in contrarium hic ogganniant recentiores Apellæ. Ita autem in hoc Psalmo introducitur loquens Rex Messias Filius Dei, ut 1. dicat se narraturum ipsum *הוק* h. è. consilium vel decretum Dei aeternum de glorificando Messia per resurrectionem & exaltationem ejus, sicut in N. T. locus hic eum in finem allegatur. 2. Quia verò consilium illud de glorificando Messia quàm maxime conspicuum est in pacto Patris & Filij, Spiritus Sanctus ita Filium hic loquentem introducit, ut ante omnia aeternam suam à Patre generationem profiteatur in his verbis: *Jehova dixit ad me: Tu es Filius meus: Ego hodie genui te.* 3. Sed statim additur Patris promissio, quam in aeterno illo de salute hominum consilio à Patre restipulaturus erat Filius Messias: *Pete à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam vel in possessionem*

56.
nem tuam, & fines terra in ius possessionis tua: quæ publica gloriæ promissio postea latius diducitur, explicatur & applicatur: ita quidem ut manifestè *promissio fœderalis* hic innuatur, quâ cœlestis Pater à Filio stipulatus satisfactionem justitiæ divinæ præstandam mediante *λύτρω* & morte maledicta obeunda, pro redimendo genere humano promissit gloriosam exaltationem & resurrectionem, quâ tanquam sententia judiciaria declarandus erat Filius Dei *ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ* Rom. I. v. 4. talisq; agnoscendus ab omnibus, ut ita lis tota de divinitate Christi dirimeretur, & regnum gloriosum Messiae per Spiritum Sanctum confirmaretur: undè Spiritus Sanctus *Oleum* vocatur *Latitia*, quo Rex etiam Messias inungendus erat *pra consortibus suis*, Psel. 45. v. 8. undè Esaias: *Super eo quiescet Spiritus Jehova, Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilij & potentia, Spiritus scientiæ & reverentiæ Jehova.* Esa, II. v. 2.

XXII.

Adde quod *Spiritum Sanctum* Filio Messiae promissit Pater effandendum in Apostolos tanquam *παράκλητον* *Advocatum* videlicet simul causæ Christi, simul causæ Apostolorum, qui argueret mundam de peccato & de justitia & de iudicio, ferretque testimonium de innocentia Christi, valore mortis ipsius, resurrectione, ascensione in cœlum, & salute æterna omnibus credituris conferenda. Joh. 16. v. 8. qui denique signis & miraculis veritatem præconij Apostolorum, uti totidem sigillis divinis confirmaret, fidemque ingeneraret cordibus electorum. Act 1. v. 8. & 28. v. 4. 10. 44. 45. 1. Cor. 12. v. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Heb. 2. v. 3. 4. undè *Spiritus Sanctus* appellatur *Spiritus promissionis* h. e. stylo Hebræorum

rum *Spiritus promissus*, nempe Messia Filio Dei in foedere illo inter personas Numinis transacto, ut Filius tanquam Rex eum effunderet in Apostolos & discipulos, & in omnes credituros atque credentes. Act. 1. v. 4. 8. ut per Spiritum S. tanquam per sceptrum suum regnaret in medio inimicorum suorum. Psal. 110. v. 2. Ac enim cum *Spiritus Sanctus* persona sit æqualis cum Patre & Filio dignitatis, inscius sanè vel invitus promitti nec potuit nec debuit, annuit itaque *Spiritus Sanctus* simul postulationi Filij, simul pollicitationi Dei Patris, recepitque fore, ut lubens mitteretur, eaque perageret, quæ simul ad Christi regnum stabilicandum, simulque ad salutem electis conferendam necessaria erant. Matth. 12. v. 28. 31.

XXII.

Multum adhuc temporis impendendum esset, si singula S. Scripturæ V. & N. T. loca nobis hic essent executienda, quæ ejusmodi *Consilium divinum* vel *Transactionem federalem* involuunt tres inter adorandas SS. *Trinitatis Personas*: Tale enim *Consilium* non tantum in prima jam rerum omnium, & præcipiè Hominis creatione manifestatum fuit, ut ante vidimus: Sed & tota *Salutis Oeconomia* idem satis manifestè docet, quoties salutis negotium ita in Scriptura distributum & dispensatum videmus, ut suæ *Patri*, suæ etiam *Filio* & suæ etiam *Spiritui Sancto* partes in hocce salutis opere sint assignatæ. De peculiari *inter Patrem & Filium pacto vel foedere* postea paulò distinctiùs agemus: hic autem ostendendum tantum, quomodò in æterno isto Dei de salute hominum *Consilio* suas etiam *Spiritui Sancto* partes inveniamus, qui cum in finem à *Patre & Filio* mittitur, ut exequatur atque perficiat ea, quæ ad gloriam Dei illustrandam

dam & ad salutem hominis perficiendam pertinent, qui vel ideò etiam *Spiritus*, vel *Patris & Filij Spiritus* dicitur, non tantùm quia à Patre & Filio procedit per spirationem aeternam, sed etiam Patris & Filij auctoritate & proprio etiam voluntatis consensu mittitur officio suo ex consilio divino functus, vel ad mundum arguendum de peccato, de justitia & de judicio, vel ad sanctificandum & glorificandum Filium in admirando illo Incarnationis & Redemptionis opere, vel ad sanctificandos excellenti separatione Prophetas & Apostolos, vel ipsos etiam Electos, transformando eos ad imaginem Domini ex gloria in gloriam. Cùm enim omnia hæc agat *Spiritus Sanctus* nec invidus, sed tanquam persona verè divina, cùmque hæc omnia juxta Decretum Dei & juxta consilium ejus aeternum in tempore fiant, suas etiam *Spiritum Sanctum* tanquam personam divinam Patri & Filio coæqualem ac coæternam in consilio illo aeterno partes habuisse concludimus.

XXIV.

Sed quia in specie Zacharias de *Consilio Pacis* loquitur inter *Patrem & Filium*, sive inter *Jehovam & Viramo Germen*, de singulari illo inter *Patrem & Filium* pacti distinctiùs hìc agere constitutum est, cùm & hac ratione natura *Fæderis gratia* cum homine peccatore totaque *Testamentorum divinorum* ratio non parùm illustretur. Est autem *Pactum* illud seu *Fædus Dei Patris cum Filio* mutua conventio, quâ *Deus Pater à Filio stipulatus est perfectam obedientiam Legis usque ad mortem pro electo semine sibi dando obeundam, atq; eidem obedientiam illam præstanti semen illud velut à se assertum seu peculium & hereditatem propriam promisit: ac vicissim Filius obedientiam illam Deo*

D

Patri

Patri spondens & actu ipso prestans ab eodem jus semen illud sibi ceu hereditatem & peculium postulandi restipulatus est. De hoc autem Pacto vel Fœdere Patrem inter & Filium ita actari sumus, ut primò illud ex Scriptura probaturi, ac deindè per partes illud ipsum explicaturi simus.

XXV.

Tale sanè *Pactum* dari *Patrem inter & Filium Mediatorem & Redemptorem*. Sacra Scriptura passim docet; ita sanè Zacharias docuit: *Consilium Pacis fore inter utrumq;*, quod non aliud esse potest, quàm *Pactum* illud *Patris & Filij*, ut suprà jam ostendimus. Tale etiam *Consilium* hinc indè docuit Esaias, quando Deum passim de Filio Redemptore ut de *Servo* suo loquentem introducit: Ita enim *Servi* nomen exinanitionem importat Filij ad assumendam ex pacto formam hominis; ita enim sub lege factus pro omnibus gratia Dei gustavit mortem, eique Pater regnum promisit & populum, ut Esaias docuit cap. XL. Postquam enim v. r. dixit: *Ecce servus meus* &c. versu deindè sexto subjungit: *Ego Jehova vocavi te in justitia, & tenebo manum tuam, & retinebo te, & dabo te in fœdus populi, in lucem gentium* h. e. ut populo speranti in me fœdus gratiæ confirmes, & gentes, que non sunt populus, ad fidem adducas. Idem etiam Esajas docet Cap. 49. v. 5, 6. &c. Sed omnium clarissimè hoc *pactum* explicat Esaias 53. v. 10, 11. *Dominus (Pater) volentem (Diabolum) ipsum (Filium, Servum) enervare, ad impotentiam redegit (destruxit per Christum caput ejus conterentem) ubi posuerit animam ejus sacrificium satisfactionis, videbit semen, quod prolongat dies, & in cujus manu voluntas Dei proficiat. A labore, quem*
videbit

56.
videbit anima ejus, satiabitur. In agnitione sui justificabit
justus servus meus multos, & ipse portabit peccata ipsorum.
In quibus verbis observare possumus 1. Partes pacifcen-
tes, Deum Patrem & Filium ejus in forma servi. 2. Man-
datum à Patre Filio datum, quod est, ut Filius animam
suam ponat sacrificium pro semine. 3. Promissionem Pa-
tris, fore ut servus ille videat semen & satiatur à labore
suo. 4. Obedientiam Filij, laborem animæ ejus sacrificium
se ponentis. 5. Restipulationem, satietatis scilicet à labo-
re illo manuum & justificationis seminis.

XXVI.

Tale etiam Pactum nobis indicatur Psal. XL. v. 7.
& seq. ubi Filius introducit se ut *Vadem & Spon-*
forem: his verbis: *Sacrificium & munus noluisti, aures*
perforasti mihi (voluntarium servum me fecisti) *tum di-*
xi: ecce veri is, de quo in volumine libri scriptum est: fa-
cere voluntatem tuam cupio: Lex tua in medio est viscerum
meorum. Hæc autem *Voluntas* est illa ipsa qua sanctifi-
camur: in hac enim voluntate sanctificati sumus per
oblationem corporis Christi semel factam. Heb. 10. v. 10.
Hec est voluntas ejus, qui misit me (Patris mittentis me)
ut omnis qui videt Filium & in eum credit, habeat vitam
æternam. Joh. 6. v. 40. Quin eo ipso quo Psal. 2. v. 8.
Deus Pater ad Filium loquens introducit: *Postula à*
me & dabo gentes hereditatem tuam; Patris premitentis
Promissio, & Filij Restipulatio apertè declaratur: Eo ip-
so verò, quo Filius *ὑπερφύωτος διαδούλος ἑγὼς* melioris pa-
tri vel Testamenti Sponsor dicitur Heb. 7. v. 12. & melioris
Testamenti *μεσίτης* mediator Hebr. 8. v. 6 eo ipso, inquam
docetur, Filium obedientiam vicariam Deo sponondif-
se, & in se recepisse præstationem conditionis illius, ci-

tra quam præstitam homini peccatori nihil promitti poterat. Hoc ipsum *pactum* Christus ipse expressis quoque verbis docet Luc. 22. v. 29. quod tamen de *Testamentaria* quoque *dispositione* intelligi potest, ut ita Christus doceat, se vi *fœderis* aut *pacti* cuiusdam Regnum illud à Patre obtinuisse, quod nobis obedientia sua promeritus est.

XXVII.

Ut verò mutuum illud *Patris & Filij Pactum* accuratiùs hîc consideremus, & naturam ejus ac partes omnes distinctiùs explicemus, ea quæ dicturi sumus ad sequentia capita generalia revocabimus, ostensuri.

I. Quænam sint in isto Fœdere vel Pacto *Partes Contrahentes*?

II. Sub qua *Schese* partes illæ contrahentes hîc sint considerandæ!

III. Quodnam fuerit *Bonum* illud, de quo hîc personæ SS. Trinitatis inter se contraxerunt?

IV. Quænam fuerint Fœderis illius vel Pacti *Conditiones*?

V. Quinam fuerint *Actus fœderales*? ubi à parte *Patris* videbimus 1. *Stipulationem*. & 2. *Promissionem*: à parte verò *Filij* 1. *Adstipulationem* & 2. *Restipulationem*.

VI. Quænam fuerit Conditionis à Filio Sponsore promissa præstatio.

XXVIII.

I. *Partes* in hoc fœdere vel pacto *Contrahentes* iam sæpiùs indicavimus omnes tres SS. Trinitatis personas: cum enim in prima propositi illius triunius Dei executione omnes tres Sacrosanctæ Trinitatis personas se invicem ad imponendam operi colophonem excitantes audi-

audiverimus Gen. 1. v. 26. haud abs re hinc *Patrem* etiam,
Filium & Spiritum Sanctum veluti deliberantes, conclu-
dentes, quin imò pactum aliquod inter se ineuntes co-
gitabimus: Cùm enim Scriptura non sine insigni sa-
pientia se captui nostro accommodans divinum istud
propositum *Consilij* nomine vocet ratione divina sapien-
tiæ: & verò ratione constantiæ ac firmitatis futuræque
per sanguinem justificationis & confirmationis *Testa-
menti* quoque voce utatur: quidni & ratione habita to-
tius Sacrosanctæ Trinitatis, Patris, Filij ac Spiritus San-
cti *Pacti* hinc instar aliquod reperiamus, Patre, Filio &
Spiritu Sancto suum hinc (liceat ita loqui) conferente &
partes suas obeunte: ita ergò quòd in triumphus Dei glo-
riam exiturum erat *Consilium*, à triumpho quoque Deo ini-
tium suum (si ita loqui liceat) habere debebat. Sed in
specie tamen *Partes* in hoc foedete singulari *contrabentes*
sunt *Pater & Filius*, quod docent loca Scripturæ supe-
rius allegata; Eò quoque facit, quòd Filius Dei Adam
δὲ ἑτεροῦ *secundus* dicatur & *ἑσχατος*. 1. Cor. 15. v. 45. 47.
Quemadmodum enim Deus cum Adamo primo pepi-
gerat foedus operum, cujus vi, siquidem obediturus fuif-
set, imaginem Dei in posteros etiam fuisset propaga-
turus: Ita Deus Pater cum Filio suo pepigit pactum il-
lud, in quo ipsi ut homini futuro justitiæ & vitæ here-
ditatem per obedientiam Legis promerendam & semi-
ni ipsius communicandam promisit, sicut Adamus pri-
mus in eo ipso *τὸ μέλλοντι* *futuri* typus dicitur Paulo,
Rom 5. v. 12. 19.

XXIX.

II. Quod jam *Schesin* attinet partium in hoc foede-
re contrahentium secundo loco considerandam. *Pater*

D 3 sanè

sanè in hoc foedere personam sustinet tùm *Legislatoris* tùm *Reactoris*, & *Filius Sponsoris*. *Legislatoris* personam sustinet *Pater*, quatenus justitiæ demonstrationem exigit, & peccatum hominis in *Sponsoris Filio* punit. *Reactoris* verò sapientissimi personam, sustinet idem, quando ut misericordiam sine justitiæ suæ præjudicio exercere queat, *Filium Sponsorem* sinit. Atque hæc causa est, cur in salutis negotio nomine *Dei* sæpè designetur solus *Pater*, quatenus iste solus *Deitatis jus atq; personam* sustinet. *Filius* verò, quia tanquam *Sponsor* benignus & misericors carnem humanam assumpsit, & ut peccatum in ea condemnaretur, sustinuit, *Testator* ideò nobis factus est, à quo mediante morte omnem hæreditatis benedictionem accipimus. Sed ut distinctius appareat, quænam hîc fuerint *personarum contrahentium* *omnibus* in isto *Pactis Consilio*, considerabimus eas *a. ante pactum. b. in ipso pacto. c. vi pacti.*

XXX.

a. Equidem una tantùm est, eaque æterna *Patris & Filij* voluntas, in qua nec antecedens nec præsens, nec futurum propriè locum habet: quando tamen loquimur pro vulgari nostro concipiendi & loquendi modo, *Patrem ante pactum* relationem dicimus habuisse ad *Filium* tanquam ad *Filium*, & *Filium* vicissim ad *Patrem* tanquam ad *Patrem*: Quamvis ergò *Patris & Filij* una sit voluntas, una operatio, quia *Pater & Filius* unum sunt i. Joh. 5. v. 7. quia tamen *Deus Pater* non est *Filius*, nec *Deus Filius* est *Pater*, eadem una voluntas & eadem operatio in hac œconomia distinctè & *Patri & filio* appropriatur, ut ita appareat, quomodo in ipso *SS. Trinitatis mysterio* & in personarum divinarum pluralitate

56.
ralitate totum illud *natus & redemptionis mysterium* sic
fundatum. 15. In ipso jam pacto ut distinctæ quoq; Pa-
tris & Filij *σχέσις* appareant. Pater hic considerandus
est ut donans & mittens Filium, qui Filio pactum illud
pactique condiciones proponit, Filiumq; ad id invitat:
hinc Pater dicitur *disposuisse Filio regnum*, Luc. 22. v. 29.
proposuisse & elegisse in Filio, Eph. 1. v. 4. Filius verò con-
siderandus est ut *donatus & missus*, qui dixit, placere
sibi conditionem à Patre conscriptam. *Facere volunta-
tem tuam Deus mi, volupe mihi est*, Psal. 40. v. 9. Atque
hinc iterum apparet 1. Quomodo maximum illud sa-
lutis nostræ *mysterium* cum *SS. Trinitatis mysterio* ita sit
conjunctum, ut sine hoc nec salus nobis *destinari*, nec
procurari nobis nec etiam *applicari* queat. 2. Quomodò
totum illud *salutis opus* merè *divinum* sit, quomodo in
uno Deo justificemur & salvemur, ita ut *Deus* sit qui
judicat, & qui spondet, & qui propter sponsonem ju-
dicatur: ut *Deus* sit, qui à peccatis nos absolvit, & qui
pro peccatis nostris intercedit: ut *Deus* sit, qui mittit
& donat, & *Deus* etiam sit, qui mittitur & donatur,
3. uno verbo: Quomodò *Deus sibi ipsi morte sua satisfacere*
potuerit: quia enim *Filius* cum *Patre* unum est, quia
unus *Deus*, una *justitia*, una *voluntas*, *Filio* quoque sa-
tisfit eo ipso, quo *Patris justitiæ* satisfacit: sed quia *Filius*
non est *Pater*, potuit eatenus *Pater* per misericordiam
suam *Filium* dare *Sponsorem* & *Sacerdotem*: potuit ita *Filius*
carne indatus *Deo Patri* satisfacere: potuit etiam ip-
se *Pater* per veritatem & justitiam suam satisfactionem
Filij acceptare eique mercedem decernere. 7. Post pa-
ctum & vi pacti induit *Pater* *σχέσις Domini*, *Christus* ve-
rò tanquam *Dei Filius*, qui se mancipavit *Patri* ad præ-
standam *foederis conditionem* induit *σχέσις Servi fidelis*:
idè

undè frequens de hoc negotio in *Dominica Servi & Domini* nomenclatura, Esa. 42. v. 1. 6. & 49. v. 3. 12. & 53. v. 11. Ezech. 37. v. 24. 25. Zach. 3. v. 8. ita ipse quoque *Pater à Filio* agnoscitur ut *Dominus*, Psal. 16. v. 2. *Merces mea est penes Dominum* Esa. 49. v. 4. huc etiam pertinet illud, quod legimus Psal. 40. v. 7. *Aures perforasti mihi*. Hebr. 10. v. 5. ita autem alludit ad ritum olim in *seruo* Hebræo observatam, qui Domino & domui ejus in æternum se obstricturus erat: Exod. 21. v. 5. 6. ut non immeritò *ilius Dei* dicatur *assumpsisse formam servi*. Phil. 2. v. 7.

XXXI.

Hic autem occasione *Dominij* illius *Paterni*, & *Servitutis Filij* quæri solet: An *pactum* istud summè quoque *liberum* fuerit? ita ut nec ipse *Pater* necessitate aliqua ad ejusmodi *pactum* proponendum, nec ipse *Filius* ad illud admittendum inductus fuerit? R. Ita sanè summam hîc fuisse & *Patris & Filij Libertatem*, *Patris* quidem in proponendo hoc *foedere*, in admittenda *Filij Sponsione*, in donando & mittendo *Filio*, *Filij* verò in spondendo & obediendo tota *Scriptura* clamat, & ipsa *salutis œconomia* docet, quotiescunque hoc *Consilium* de salute nobis destinanda & procuranda soli *Patris* misericordiæ, solique *Filij* gratiæ & amoris adscribitur. Nec etiam *summa & infinita Dei Majestas*, quæ æqualis hîc est *in Patre & in Filio*, subjectionem ejusmodi & libertatis imminutionem hîc admisit, neque *Lex* ulla fuit, quæ vel *Patrem* ad *Filium* dandum, vel *Filium* ad gloriam ejusmodi promerendam obligare poterat: cum enim *Filius* esset *in forma Dei*, non duxit *rapinam similem esse Deo* Phil. 2. v. 6. Hinc etenus magna est differentia

56.
tia inter *Adamum primum* in foedere operum, & inter *Adamum secundum* in foedere gratiae: nam in foedere operum quam obedientiam praestitisset *Adamus primus*, recusare is citra Legis violationem nullo jure potuisset, ad eam quippè quâ homo & eo ipso quia homo & creatura Dei fuisset obligatus: Sed in foedere gratiae nulla Lex antecedebat, quæ vel *Patrem* ad ejusmodi *Pacis Consilium* proponendum, vel *Filium* ad ejusmodi *Sponsionem* in se suscipiendam vel ad obediendum obligabat. Idem etiam docet *ἡγοῦ* *Consilij* nomen, quo pactum istud vel ideò quoque insignitur, quia utrinque liberrima voluntate & *ἑυδονία* conceptum fuit. Psal. 40. v. 7. Joh. 10. v. 18. Idem etiam evincit *ἑγγύς* *Sponsoris* nomen & vera *Sponsionis* natura, quamvis enim *Sponsione* praesti à ipsa Lex *Sponsorem* obliget, nulla tamen Lex *Sponsorem* obligat, ut *Spondere* velit.

XXXII.

Sed & alia hinc quaestio moveri solet: An quemadmodum liberum fuit *Filio spondere*, vel *Patri sponsorem admittere*: ita liberum quoque fuerit *Filio sponsioni renuntiare*, vel *vadimonium deserere*, vel *Patri Sponsorem* semel admissò obedientiam *Filij* non approbare? Ita sanè *Remonstrantes* ut crudo suo paradoxo de *Libero Arbitrio* ejusque *indifferentia* patrocinentur, absurdè statuant, *Filium Dei* potuisse sponsioni semel susceptæ renuntiare, nec liberam censendam *Christi* obedientiam, nisi talis ea statuatur, à qua ipse quoque, si quidem voluisset, deficere potuisset: ita *Christum impeccabilem* fuisse absurdè negant. At verò cum in omni sponsione & ille qui spondit & is qui sponsorem admisit, legem sibi dixerit, ille quidem qui spondit sponsioni satisfaciendi, is verò qui sponsorem admisit, sponsionem

E
ceptan-

acceptandi, ut docet Sapiens Prov. 6. v. 1. sanè sine per-
fidia, quam קִבְּרָה vocat Scriptura, sponfionem vel reji-
cere vel deserere nemo potest: absurdè ergò *Filio Dei*
ejusmodi prævaricatio atque peccatum tribueretur, ne
quidem quoad voluntatem humanam, cum talis vo-
luntas humana legi divinæ contraria absque divinæ vo-
luntatis approbatione in Filio Θεωυ & πατρός, locum habere
non potuisset. Id ipsum quoq; Scriptura docet, quando
inmutabilem vocat voluntatem Spiritus æterni, per quem
se ipsum obtulit Patri, vid. Heb. 9. v. 14. & 10. v. 2. 10. &
7. v. 16. Ita pluribus docent Theologi, obedientiam Chri-
sti Filij Dei ac Θεωυ & πατρός fuisse & necessariam & simul
quoque *liberrimam*, ut vel hoc etiam argumento *Liber-
tatem in indifferentia* non consistere, nec *necessitatem*
omnem cum *libertate* statim pugnare evincant.

XXXIII.

III. Tercio loco considerandum nunc *Bonum* illud.
de quo in æterno illo *Pacis fœdere* convenerunt *Pater &
Filius*. Illud autem *Gloriæ & Gaudij* nomine venit: ita
Gaudium Filio propositum memorat Apostolus Heb. 12.
v. 2. ita Christus supposito quod jam præstita fuerit fœ-
deris condicio, petit ut *glorificetur à Patre* Joh. 17. v. 5.
ita Christus dicitur *glorificandus* die novissimo in omni-
bus credentibus 1. Thess. 1. v. 12, ita vocatur ἀπαύλαστος
& δόξης *resplendescencia gloriæ* Patris, non tantum pro-
pter essentialem gloriam divinam quam cum Patre ab
æterno habuit eandem, sed etiam propter maximam
illam gloriæ manifestationem, quæ locum habuit in
Christo per passiones consummato & ad summam glo-
riam ejecto, Heb. 1. v. 3. 6. 7. 8. Huc pertinet omnis
illa *gloria* Filio Sponsori promissa, ut cum dicitur *pro-
sperè agere & videre semen* Esa. 53. v. 10, 11, 12. cum ei tri-
buitur

56.
buitur *Gentium* hæreditas Psal. 2. v. 8. Huc etiam facit,
quòd Propheta noster Zacharias cum ut *Regem* & ut *Sa-*
cerdotem describit *sedentem in throno*. Hæc etiam gloria
innuitur, quando Christus *Ecclesie caput* factus dicitur
super omnia Eph. 1. v. 22. Psal. 8. v. 7. Est autem hæc *Glo-*
ria prorsus divina, ita ut quemadmodum in *prima Crea-*
tionem omnia ad gloriam Dei facta dicuntur, ita hinc quo-
que in *secunda & nova creatione* omnia ad gloriam Dei
fieri censenda sint, quæ gloria non Patris tantum sed &
Filij gloria est, quippe per quem omnia & in prima & in
secunda creatione creata sunt.

XXXIV.

IV. Quarto loco *Conditio* jam consideranda ve-
nit, sub qua foedus istud *Patrem* inter & *Filium* contra-
ctum fuit. Hæc autem ea ipsa est, quæ requiritur, ut
Pater in *Filio* per *Spiritum Sanctum* eo, quo justitiam &
sanctitatem Dei decet, modo in salvando peccatore
glorificetur; Modus autem iste consistit *in iudicis &*
δικαιοσύνης Θεῶν in demonstratione justitiæ Dei. Ita enim
Deus sine justitiæ suæ violatione peccatum impunitum
dimittere non potuisset: nec gratia fieri potuisset ho-
mini peccatori, nisi justitiæ divinæ fuisset satisfactum.
Nec tamen in sola etiam sponsione vel in sola sponsio-
nis admissione, qualis locum habebat sub Veteri Te-
stamento, & ante Christum exhibitum, demonstrata
satis fuisset justitia Dei, nisi in tempore quoque, quam
sponderat obedientiam & satisfactionem præstiuisset
Filius Dei. Hæc ergò Lex fuit foederis *Patrem* inter
& *Filium*, hoc præceptum à Patre Filio datum, ut de-
poneret vitam pro ovibus, Joh. 10. v. 18. hinc Christus:
Præceptum à Patre mihi datum est, Joh. 12. v. 49. hinc

Esaias de Christo : *ubi posuerit animam redemptionis pretium*, videbit semen. Esa. 53. 10. Hæc ergo est voluntas *Patris*, hanc facit ipse *Filius*. *Voluntas autem Filij*, qua se voluntati illi ultrò obstrinxit, est voluntas, in qua & per quam sanctificamur. Heb. 10. v. 10.

XXXV.

V. Ut jam quinto loco ad *Actus etiam Fæderales* pergamus, ex superioribus jam manifestum esse potest, eorum alios esse à *parte Patris*, alios autem à *parte Filij* :
N. A *parte Patris* est, 1. *Stipulatio*, atque 2. *Promissio*.
2. A *parte verò Filij* est 1. *Adstipulatio* sive sponsio : & 2. *Restipulatio*. N. Quod *Patris attinet* 1. *Stipulationem*, in isto pacto *Deus Pater à Filio stipulatus est obedientiam Legis*, & ut animam suam daret in sacrificium : Hanc *stipulationem* inter alia docent sequentia Scripturæ loca : *Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*. Psal. 40. v. 8. 9. *Ubi posuerit animam suam sacrificium* &c. Esa. 53. 11. *Eris mihi servus ad erigendas tribus Jacobi*, &c. Esa. 49. v. 6. *Hoc mandatum accepi à Patre, ut ponam animam meam*, Joh. 10. 18. *Pater qui misit me, ipse dedit mihi εντολὴν mandatum, quid dicam vel loquar* Joh. 12. v. 49. undè *Filius dicitur factus obediens Patri usq; ad mortem, mortem autem crucis* Phil. 2. v. 8. hinc *Christus Patris hanc esse voluntatem agnovit* : *Pater mi - - - γενεθήτω τὸ θελήμα σου, fiat voluntas tua*, Matth. 26. v. 42. hinc *Filius Dei dicitur factus ex muliere γεόμενος ὑπὸ νόμον factus sub lege* Gal. 4. v. 4. Ita nempe *Pater à Filio stipulatus est obedientiam Legis eandem, quam primus Adam debebat, cum fœdus operum suscepit, & cum idem illud fœdus operum violavit* : cum enim

enim in *Adami primi* locum succedere debuerit *Adam secundus*, ad eandem quoque *obedientiam obligari* debuit.

XXXVI.

56.

Sed cum *Filius* sit ejusdem cum *Patre* naturæ & dignitatis, quomodo salvâ suâ Majestate *Patris legi se sub- jicere* potuerit *Filius*? quæritur. Resp. Equidem fate- mur, *Filium* quâ Deum nulli *Legi sub- jici* potuisse invi- tum, sed tamen potuit seipsum obligare ad faciendum id, quod ad impletionem *Legis* à se ut *Mediatore* præ- standam necessarium fuit, qualis sanè *Obedientia* nec Deo indigna, nec gloriæ *Filij Dei* contraria est, cum obe- dientia illa tale sit opus *θεωδ' εμὸν*, in qua natura quo- que divina aliquid facit, quod verè divinum est, quan- do nempe obedientiæ hominis finitæ infinitum præ- tium ac pondus addit. Quando ergò *Pater* à *Filio* obe- dientiam stipulatus est, quâ *Filius* seipsum in carne assump- ta exinaniret, & occultatâ Majestate formam servi sus- ciperet, & ita pro homine peccatore plenissimè satisfac- ceret, & omne *Legis* postulatam præstaret, nihil nec à propria nec à *Filij* sui gloria alienum postulavit: cum maximè fuerit *Filij Redemptoris*, *Sponsoris* & *Media- toris* gloria, quòd munere isto à *Patre* demandato tam gloriosè defungi potuerit, ut pro homine facere teâ, quæ sunt *Legis*, & ut pateretur quoq; pro transgressore *Legis* ea, quæ *Lex* eidem comminata est. Ita videmus, qua ratione *Pater* à *Filio* stipulatus fuerit *Obedientiam*, ut in Scholis vocant, *Activam & Passivam*, & quòd dici ne- queat, quòd *Christus* ut *Creatura* vel ut homo obe- dientiam aliquam debuerit *Patri*, cum id ipsum quo- que, quòd *Creatura*, quòd homo factus fuerit *Filius*, ad hanc obedientiam pertineat, quam *Pater* à *Filio* sti-

E 3

pulatus

pulatus est: Nec Christus in Adamo censerī potuit, quando in fœdere operum ab Adamo Legis obedientiam stipulatus est Deus.

XXXVII.

2. *Promissio*, quam Filio Obedienti in fœdere isto promisit Pater, fuit promissio insignis *hæreditatis*, *Seminis*, *peculij*, *populi peculiaris* & *regni*: ut sequentia docent Scripturæ loca: *Ubi anima ejus se posuerit sacrificium, videbit semen, quod prolonget dies, & in cujus manu voluntas Dei proficiat, à labore quem videbit anima ejus satiabitur.* Esa. 53. v. 11. *Postula à me, & dabo tibi hæreditatem terræ.* Psal. 2. v. 8. *Dominabitur à mari ad mare & à fluvio Euphrate ad fines terræ,* Psal. 72. v. 8. *Omnia mihi data sunt à Patre.* Matth. 11. v. 27. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Matth. 28. v. 18. *Regni ejus non erit finis* Luc. 1. v. 29. Qui locus non tantum docet, Filio à Patre promissum esse *regnum*, sed & promissionem illam à Patre factam rationem habuisse *διαθήκῃς Testamenti*, quo Pater Filio hæreditatem disposuit, eique *Regnum* ab æterno ex libera voluntate & *εὐδοκίᾳ* legavit. Equidem merito mortis suæ ipse Christus hæreditatem illam consecutus est, sed τῆς *διαθήκῃς* sive *testamento Patris* & libera ejus voluntati acceptum ferendum, quod Filium destinaverit in Mediatorem, sanguinis sui pretio certum populum sibi vindicaturum, ita legatum est Filio *Regnum*, quod sanguine suo sibi purificaret, quæ *dispositio testamentaria* respectu Patris liberrima fuit, quandoquidem si aliter Deo visum fuisset, potuisset etiam non legari. *Promissionem* hanc a Patre sibi factam Christus etiam *Glorificationis* nomine expressit: *Glorifica*
me,

me, inquit, Pater, ut & Filius tuus te glorificet. Joh. 17.
v. 1. Quæ *Glorificatio* consistit in gloriosa personæ Me-
diatoris exaltatione, quam post exinanitionem & hu-
miliationem consecutus est Mediator, & quidem in
utraque natura, *Divina & Humana*, nam *Glorificatio* illa
in natura *Humana* collationem notat & incrementum
gloriæ, quam antea nondum habuit, in *Divina* verò
manifestationem illius gloriæ, quam ab æterno posse-
dit.

XXXVIII.

3. Postquam ita, quæ *Patris* fuerint in hoc pacto
partes, vidimus: *Filij* jam *Partes* sequuntur. 1. *Adsti-*
pulatio scilicet & obedientiæ sponsio, & hæreditatis
promissæ tanquam mercedis 2. *Restipulatio*. 1. *Adsti-*
pulatio, Græcè *ὁμολογία* sive *Sponsio Filij* est voluntas
ejus, quâ Deo Patri obedientiam pro Electis à se stipu-
lanti liberè eam promittit, & servum seipsum ad perfici-
endum opus salutis humanæ sistendo, actu ipso eam
præstitit, ut ita peccatum condemnaretur in carne sua
& omne Legis *δικαίωμα* in homine peccatore impleretur.
Hinc *Filius* vocatur *ῥη* *Fidejussor*, qui pro alio spon-
det, & in fidem suam eum recipit, fidemque ejus præ-
stat. Vocatur etiam *ἑγχοος* *Sponsor*, qui data manu ali-
quid promittit, qui se obstrinxit pro altero vel loco
alterius, qui alterius debita se soluturum promittit, qui
spondet alterum sistere, qui pœnam luendam vel exe-
quenda jussâ aut decreta in se recipit. Vocatur etiam *πα-*
ράκλητος, qui in fidem suam electos clientes recipit, eorum
que reatum suum fecit: ea enim significatione voces istæ
in Scriptura sumuntur. vid. Job. 17. v. 3. Jer. 30. v. 21. Ps. 119.
v. 122. Esa. 38. v. 14. Heb. 2. v. 22. 1. Joh. 2. v. 1. Atque hinc
ipse

ipse *Sponsor* Μεσίτης etiam vocatur, h. e. *Mediator* 1. Tim. 2. v. 5. Heb. 8. v. 6. & 10. v. 15. *Testator* Heb. 9. v. 16. 17. *Pontifex* Heb. 7. v. 26. 782 *Vindex, Redemptor*. Επιλήπτωρ Job. 19. v. 25. Heb. 2. v. 16. De hac autem *Sponsione* ut paulò distinctiùs agamus,

A. Videbimus, quæ *Sponsionis* hujus *natura* sit atque *indoles*?

B. Quæ *Persona* sit ad ejusmodi *Sponsionem idonea*?

C. Quomodo & qua *ratione Sponsionem* istam *Filius Dei* in se suscepit?

D. Quando *Sponsio* ista facta sit?

E. Quæ *Sponsionis* illius *vis* sit atque *valor*?

F. Cur *Filius Dei* in specie *Novi Testamenti Sponsor* dicatur, cum tamen *Veteribus* jam tanquam *Sponsor* agnitus fuerit?

XXXIX.

A. Veram *Sponsionis* illius *naturam* & *indolem* docent vocabula hunc in sensum in *Scriptura* adhibita, ut sunt

a. Ἐγσος, quæ vox *Sponsorem* & *fidejussorem* notat Heb. 7. v. 22. à voce Ἐγσύν, de qua voce hæc habet *Pasor* in *Lexico*: Ἐγσύν, ης, ἢ *expromissio, fidejussio, sponsio*, q. d. ἐν γύοις (hoc est, χερσὶ) τι δεῖσα, quum manu stipulatâ promissimus seu spondimus pro alio. γύον, & τὸ membrum, manus *Prov.* 22. v. 26. Μὴ δίδῃς σεαυτὸν εἰς ἔγσυν, ad verbum: ne des te in sponsionem, hoc est, ne sponde, in *Hebr.* ne sis ex complo dentibus manu. Ἐγσάω, ᾧ fidejubeo pro alio, spondeo, manu stipulatâ polliceor. ἔγσος, & ὁ idem quod ἔγσύνη, ἔ ὁ vas, vadis: *fidejussor, sponsor, pres.* Sunt tamen alij, qui hanc vocem derivare malunt ab ἐγσίλω *appropinquo*, vel ἐγσὺς *propè*, quia *Jerem.* 31. v. 21 ubi *Christi*

Christi *sponsio* luculentissimè indicatur, potissima illius ratio in eo collocatur, quòd is sit ille, qui ad Deum accedit & appropinquat, ut postea videbimus ad vocem קרב.

XL.

Quicquid sit, duo occasione hujus vocis observamus, quorum alterum *Sponsionis* hujus *ritum*, alterum verò naturam ejus concernit: Quoad *ritum*, moris olim erat non apud Judæos tantum, sed & apud Romanos foedera inire in manum feriendo. Solebant præterea hæredes quoque & executores testamentorum stipulata manu pollicere, se testamento obsecuturos & illud impleturos. Quoad *naturam*, verbum ἐγγυᾶδῃ non solum in promissionibus olim usurpabatur de solvendis alterius debitis, sed & in vindicandis atque afferendis ijs, quibus cæteroquin pœna erat infligenda aut qui in servitatem erant mancipandi: nam qui assererat aliquem in libertatem, sponsores dabat, qui eum, de cujus statu controversia erat, iudicio sistendum promittebant: unde apud Festum *Sponsores* atque *Vades* etiam in re capitali dicuntur: Ita ergò *Sponsoris* vocabulum apud Græcos significat eum, qui alterius debita solvenda, aut de sistendo spondet, aut pœnam luendam, aut exequenda iussa aut decreta in se recipit. Hoc sanè sensu LXX. passim accipiunt Τὸ ἐγγυᾶν Prov. 6. v. 1. & 17. v. 18. & 20. v. 16. Nehem. 5 v. 3. & Scriptor Apocryphus Syrac. 8. v. 16. & 29. v. 17.

XLI.

β. Hebrææ Voces קרב & קרב quarum illa latissimæ quidem significationis sæpissimè *Miscendi* & coalescen-

F

di

di sensu accipitur : sed aliquando etiam significat , interposito pignore aliquem hujus vel illius rei vel facti certiozem reddere. sicut aliquis etiam creditorem aliquem æris commendati securum præstat , undè vox קרבן *Arrhabo, pignus* : Ita sanè *pignus* fuit , quod interponebat *Filius Dei*, erat *sponsio* , quæ certiozem redderat *Patrem*, fore ut justificaretur Pater in omnibus vijs suis, ea imprimis earum parte , quæ peccatoris salutem respicit. Ita *Filius Dei* non tantùm se obsidem , sed & *Pignus* se dedit Deo , obstrictumque se ei futurum promisit, usque dum solvisset sanguinis sui , tanquam redemptionis , præcium ; Non mirum ergò , si hæc vox *spondendi & fidejubenai* sensu sumatur , ita enim *Filius* in fidem suam recepit hæredes à Patre nuncupatos sibi que cohæredes futuros , pollicitus se fore eorum משיח *Uindicem* Job. 19. v. 25. ἐπιλύπτορα Heb. 2. v. 16. atque se subiturum & præstiturum ea, quibus via Dei, imprimis quâ justificat improbum , justificari queat.

XLII.

Altera vox קרבן propriè *Appropinquare & Accedere* significat, cùm enim alienati simus à Deo & à vita Dei, jus ad ipsum accedendi non habemus , sed querendus nobis est , qui pro nobis h. e. in bonum nostrum & loco nostro ad Deum accedat , intercessurus pro nobis peccatoribus apud Deum Job. 33. v. 24. & in quo Deus tanquam *Sacerdote* nostro sanctificari queat Lev. 10. v. 3. Ita enim hunc *Sacerdotem* nostrum veteres præfigurant *Sacerdotes*, qui propterea dicebantur *accedere & appropinquare* & ratione sacrificij *appropinquare facere* : hinc *Sacerdotes* olim כוהנים dicti, & sacrificium in genere vocabulo קרבן denotatur : huc facit egregiè locus, qui

qui extat apud Jeremiam cap. 30. v. 1. *Et erit Dux ejus magnificus ex ipso, & potestatem habens ejus e medio ipsius exhibit, & faciam eum appropinquare, & accedet ad me, nam quis est qui in fidem suam recepit cor suum, ut accedat ad me, ait Jehova. In quo loco & Sponsio Filij, & ejusdem Sacerdotium indicatur: Sponsio quidem in eo, quod ab aeterno ad Deum accessit & se Deo obtulit; Sacerdotium verò in eo, quòd in tempore ad Deum accedere debuit, & ita Sacerdotium ei oblato Sacrificio obeundum fuit: hinc vocem קרוב explicat Naemi Ruth 2. v. 20. קרוב לנו הווי propinquus nobis Vir. Hinc Psal. 75. v. 2. nonnulli interpretantur וקרוב שמך: & propinquus, hoc est, appropinquator, accedens est nomen tuum: ita ut in שמך קרוב eadem sit constructio, quæ in textu nostro apud Zachariam שמו צמת Germen nomen ejus. Hinc populus Dei & Ecclesia N: T vocatur Psal. 148. v. 14. Populus propinqui sui, id est, Filij Dei. Ita enim appropinquatio hæc fuit victimam offerentis Redemptoris, qui in aeterno illo Dei consilio sponsor factus, in tempore ad Deum accessurus erat oblato sacrificio, ut ita juxta Testamentum gratiæ Filio cederet hæreditas Gentium atque peccatorum Filio destinatorum in aeterno illo Dei consilio, ut eos in tempore redimeret, arque ita soluto redemptionis pretio hæreditatem consequeretur.*

XLIII.

B. Ex dictis facillè patet, quæ debeat esse *Sponsoris persona*, ut ad ejusmodi sponsonem subeundam atque præstandam sit idonea. Talem sanè personam tanto muneri idoneam invenire non ita facillè fuit. *Quis est qui in fidem suam recipit cor suum, ut accedat ad me, ait Jehova, Jerem. 30. v. 21. Nemo hominum vel Angelorum,*

rum, qui non nisi mera creatura fuisset, tantæ molis opus suscipere vel potuisset vel ausus fuisset: non sine causa ergò seiscitatur Deus: Quis est qui in fidem suam recipiat cor suum? Talem sanè nobis sponsorem invenire, feligere, procurare atque proponere solus potuit qui omnia potest Deus. *Idonei autem Sponsoris requisita sunt*

1. *Ut sit sui juris*, aliàs enim se ipsum pro alijs obstringere non posset.
2. *Ut sit sufficiens* & hujus suæ sufficientiæ conscius sit, quæ in eo consistit, ut animam & sanguinem habeat tanti valoris, quò obedientia sua usque ad mortem justitiæ divinæ satisfacere atque Numinis nobis irati favorem conciliare queat.
3. *Ut tanta quoque sit eminentia & virtutis*, ut ijs, pro quibus sponddit, quosque ut suos sibi asseruit, ita dominari queat, ut conscientias ipsorum obstringere, corda flectere & vires ad obsequium præstandum tales præstare queat, quibus & possint & velint agere quæd sui est officij.
4. *Ut talis sanguinis vinculo conjunctus sit vindicandis*, ut jure propinquitatis, fraternitatis & ἐπιλήψεως possit esse eorum *ἡνωθὶ vindex, assertor, ἐπιδιώτωρ*.
5. *Ut ad Deum appropinquandi & accedendi jus habeat*, ut ita non tantùm Rex sit & *ἡνωθὶ dominator* eorum, quos sibi ut suos asseruit atque vindicavit, sed tanquam *Sacerdos* etiam oblato redemptionis pretio *consideat in throno*, atque pro vindicato sibi peculio apud Patrem cœlestem intercedat. Quæ omnia ostendunt, non alium potuisse fieri *sponsorem idoneum, Mediatorem & Redemptorem*, quàm qui esset Θεὸς ἄνθρωπος, *ἡνωθὶ*, Deus & Homo, qui verus quidem homo, sed non merus, sed qui simul verus homo & verus Deus esset: ita decuit esse Deum, nam tantummodo in Jehova sunt justitia & robur, præter me *Salvator non est* Elaj. 43. v. 11. & 45. v. 23. ita Deum de-

112

cuit ut tum Sanctificans tum Sanctificandi ex uno essent Heb. 2. v. 10. ita ex hominibus esse debebat is, qui in se susceperat, apud Deum se acturum quæ agenda sunt pro hominibus Heb. 5. v. 1.

XLIV.

C. *Quomodo & qua ratione Sponsonem illam in se susceperit Filius ex hæcenus dictis sic satis apparet. Quamvis enim una eademque sit Patris, Filij & Spiritus Sancti essentia divina, una voluntas, intellectus idem, solet tamen Scriptura pro distinctione Patris, Filij & Spiritus Sancti tres etiam personas considerare in eodem opere æconomico distinctè volentes, volentem scilicet Deum ut Patrem, volentem Deum ut Filium, & volentem Deum ut Spiritum Sanctum, Patrem quidem ut Filio offerentem Redemptoris omnem gloriam cæ conditione, ut sponsonem in se recipiat: Filium ut id in se suscipientem, quo Salvâ Dei justitiâ Pater in Filio atq; Filius in Patre glorificari queat: Spiritum Sanctum ut executorem, qui propter hanc ipsam Patris & Filij voluntatem sanctificare velit hominem peccatorem: Patrem ut Testatorem in testamento æterno: Filium ut Sponso-rem & Mediatorem, & Spiritum Sanctum, ut Testem & Paracletum, qui executioni omnia mandaturus erat, & efficaciter applicaturus salutem ac gloriam, quam Pater in testamento æterno destinaverat, & pro qua impetranda ipse Filius redemptionis pretium & obedientiam sponponderat. Ita Filius in æterno illo Pacis Consilio Sponsonem istam in se suscepit: atq; hoc est Pactum illud atq; Pacis Consilium, quod in textu nostro memorat Zacharias: quale etiam manifestè indicatur, non tantum in celestimate illo, Gen. 1. v. 26. quo SS. Trinitatis personæ se invicem excitant ad creandum hominem,*

sed & in toto illo Psalms XVI. contextu, sive cum Cl. V. V. Piscatore & Vizio non nisi unam Filij personam in toto hoc Psalmo representari statuamus, sive Dialogum hic describi censeamus inter Patrem & Filium, & in versu secundo verba contineantur Patris ad Filium apochama ei dantis ex sententia Clarissimi Coccej. Tale etiam Patrum indicatur Psal. 2. ubi vers. 6. loquens introducit Pater & v. 7. Filius; ita ut per חוק Decretum ibi intelligatur foedus illud, quod Pater inijt cum Filio; ita Synonyma sunt חוק & ברית & שבועה Ps. 105. v. 8. 9. 10. Illud condones ratihabitas, denotat, quæ leges sunt. Istud electionem earum liberam; hoc confirmationem superadditam; ita Psal. 40. Filius pollicetur, se jam incarnatum ea præstiturum, ad quæ præstanda se ab omni æternitate obstrinxerat, v. 7 - 12. vide etiam Ps. 104. v. 4.

XLV.

Vera autem & propria Sponsionis hujus ratio in eo consistit, quod Filius Dei peccatorum seu debitorum nostrorum solutionem à Deo justo iudice requisitam in se recipit; ita enim Spondere est alterius debita in se recipere & creditori præstare; Homo autem Peccator reus est debendi obedientiam & simul pœnam pro peccato; Quando ergò Spondit Christus, spondendo non aliud quàm & obedientiam & pœna debitæ onus in se suscipere potuit; ita hanc Christi Sponsionem tota Scriptura explicat, ut impia omninò & perversa sit explicatio Sponsionis à Socinianis hic obtrusa, quod Christus Sponsor Testamenti sit, quia Dei nomine ad nos venit, foedus nobiscum pepigit, & promissiones ejus ratas fore spondit. Ita nempe Sociniani ut Deitatem & Satisfactionem Christi destruant, monstrosam ejusmodi Sponsionis interpretationem fingunt, Christumque Sponsorem faciunt

eiunt, non qui pro nobis apud Deum, sed qui pro Deo apud nos, non qui pro peccatis, sed qui pro divina veritate spondeat, non qui Deo ceu verus Sacerdos offerat, sed qui ceu fidelis martyr veritatem fidei & promissionis divinæ testificetur, non qui intercedat, quod Sacerdotis est, sed qui promissa repræsentet, quod Regis est. Equidem *Testem* fuisse Christum non negamus, qui nobis divinæ promissionis fidem fecerit, fuit enim ὁ μάρτυς ὁ πιστός testis ille fidelis Apoc. 1. v. 5. verum præterea *Testator* quoque fuit & *Sponsor Testamenti divini*, & talis quidem qui *Pontifex* quoque esset atque *Sacerdos*; ita enim apud Paulum promiscua sunt *Sponsoris*, *Pontificis* atque *Sacerdotis nomina*, quia ea apud Patrem spondit, quæ Sacerdotem facere decuit Hebr. 5. v. 1. & seqq. *Sacerdotis* autem fuit offerre *Sacrificia* pro hominibus apud Deum & *intercedere*, atque ita ad priorem illam Sacerdotij Christi functionem *Sponsio* ejusdem pertinet.

XLVI.

Occasione hujus sponsionis Quæstio Problematica non ita pridem in Scholis Reformatis agitari cœpit: An illa Christi apud Deum *Sponsio*, *Fidejussionis* potius quàm *Expromissionis* rationem habuerit? Quâ quidem controversia facile carere potuisset Theologia Orthodoxa, si modò vera Christi pro Electis *Sponsio* admissa atque defensa fuisset contra Heterodoxos *satisfactionem Christi* & *Sponsionis* ejus efficaciam in dubium vocantes; modò etiam ante mortem Sponsoris & ante satisfactionem actu præstitam Chitographum mansisse, & mortem demum Mediatoris in cruce illud delerum fuisse concedamus: Interea non improbamus modestam hac de Quæstione Cel. Heideggeri sententiam, quâ potiore
statuit

statuit eorum sententiam, qui Christum Fidejussorem faciunt. Licet enim sponsio Christi propter efficaciam meriti non presentis sed futuri id presterit, ut homini peccatum ad damnationem aeternam imputari amplius non posset: imò contra fides ad justitiam & vitam ei imputaretur, tamen sicut post mortem Christi & expiationem peccati, propter peccatum homini lucta cum carne imponi potuit: ita multo magis ante mortem Christi & solutionem pretij propter peccatum adhuc extans homini imponi aliquid potuit & impositum est. nimirum Scriptio Chirographi Col. 2. v. 14. quo & reatum typico etiam sacrificiorum cultu & servitute legis confiteretur, & fiduciam in sponsore, quandoq; debitum alienum expuncturo testaretur. Non enim sponsio Christi id duntaxat efficit, ut fideles non habeant conscientiam peccati, velut non remissi, vel onus nullum ijs imponatur: sed etiam, ut Deus ad eorum utilitatem, carnis mortificationem, & novi hominis confirmationem peccatorem urgere, compellere, & peccatum ipsum castigare possit, sponsio nempe Christi in ejus sacerdotio constituitur, Sacerdos autem non liberat ex promissione sed fidejussione, quia non liberat peccatorem à reatu, nisi posito actuali sacrificio, quo Christus moriens pro peccatoribus satisfecit. Matth. 20. v. 28. Rom. 4. v. 25. I. Pet. 3. v. 18. Reatus autem extans licet ad aeternam damnationem imputatus non fuerit, manifestè tamen non propter singularem æconomiam fœderis, ad servitutem legis temporalem imputatus fuit Rom. 5. v. 14. & Expromissor pro se, fidejussor pro alijs solvit. Hactenus prædict. Cl. Heideggerus Medull. Theol. Loc. XI. §. XII.

XLVII.

D. Quando facta fuerit ista Sponsio, non ita difficile erit intelligere, si modò consideremus, consilium illud
pactis

pacis atque propositum esse aeternum, & omnia ea,
 quae in tempore fiunt, non aliter esse considerata,
 quam tanquam executionem huius propositi sive decre-
 ti. Hinc enim Christus *praeognitus* dicitur *ante iacta mun-*
di fundamenta, 1. Pet. 1. v. 20. & *sapientia* dicitur *uncta*
ante saecula. Prov. 8. v. 13. quin & nos *electi in Christo ante*
iacta mundi fundamenta. Eph. 1. v. 4. & Christus *agnus*
maclatus dicitur *ante iacta mundi fundamenta*, Apoc 13.
 v. 8. Neque huic de *aeternitate sponsionis* sententiae re-
 pugnant Zachariae nostri verba, cum de hoc *pacis consi-*
lio tanquam futuro loquitur; Jam enim supra obser-
 vavimus, illud *Consilium* futurum declarari à Propheta,
 quia per futuram Messiae gloriam *Consilium* istud plenif-
 simè manifestandum erat; Quamvis enim ab aeterno
 initum fuerit istud *Pacis Consilium*, & *Sponsio* Christi ab
 aeterno coeperit, in tempore tamen per gradus quos-
 dam haec processisse, & obscurius primò, postea verò
 clariùs etiam explicata fuisse videtur; ita nempe exe-
 cutio plenior semper fuit decreti antegressi manifesta-
 tio. Ita statim post lapsum Filius Dei vadimonium su-
 scipere, & multa pro Mediatore & Sponsore agere ce-
 pit, quando in ipso jam Paradiso provinciam contere-
 di capitis serpentis in se suscepit & pro semine sibi dato
 spondit. Gen. 3. v. 15. Et postea se Deum Abrahami,
 Isaaci & Jacobi & populi Israel, Angelumque faciei, in
 quo nomen est Jehovæ, Vindicem & Assertorem po-
 puli sui variè professus fuit: Exod. 3. v. 6, & 23. v. 21. Job.
 33. v. 23. 24. Esa 63. v. 9. Imprimis verò Filio Dei in
 carne manifestato, Legi subjecto, & per passiones con-
 summato sponsio Christi in nervum erupit, quando
 promissa sua Sponsor luculenter implevit, & dira mor-
 te Deo Patri pro peccatis totius mundi satisfecit: Quam

G

etiam

etiam sponſionem ad dextram Patris evectus Filius Dei præſtiſſe ſe ſua apud Patrem interceſſione penitus demonſtravit.

XLVIII.

E. Quamnam jam *Vis* atque *Valor* fuerit illius *Sponſionis*, ut paucis etiam examinemus, haud difficulter intelligemus, maximam fuiſſe *sponſionis* illius *virtutem* atque *valorem*, ſi perpendamus, *α. Conſilium* iſtud fuiſſe verè divinum, ſapientiſſimum, juſtiſſimum, ſanctiſſimum, uno verbo, reverà Θεοπραπές. *β.* Si peculiarem Dei *Patris*, *Filij* atque *Spiritus Sancti* rationem habeamus: *Patris* quidem ut *Judicis Sponſorem* admittentis, quo ſemel admiſſo, peccatum quidem adhuc exprobrare, pœnas tamen peccatis commeritas ijs, pro quibus ſponſio præſtita & admiſſa eſt, infligere non potuit: ſed de futura propter ſponſionem ſolutione certus eos, pro quibus ita Filius ſponſionem, in gloriam etiam admittere potuit, & reverà admittit. Ita Chriſto quoque *Filio Dei* & *Sponſori* noſtro *virtute ſponſionis* illius omnis divini propoſiti executio committi jam potuit ac debuit: ita per ipſum *ſæcula condita fuerunt* Heb, 1. v. 2. Ita *Spiritus Sanctus* *virtute ſponſionis* illius æternæ omnia Electis χαριſματα in tempore diſpenſavit, & tanquam conſilij divini executor illuminavit & ſanctificavit eos, pro quibus ita Chriſtus in æterno illo pacis fœdere ſponſionem. *γ.* Si totam denique rerum creaturarum univerſitatem, ſi hominis peccatoris electi, ſi bonorum Angelorum, ſi reproborum quoque, imò ſi ipſorum etiam Diabolorum conſervationem, atque divinam in iſtis omnibus gubernandis atque ad gloriam Filij Dei diſpenſandis œconomiam conſideremus, iterum hanc eſſe *sponſionis* atque fœderis illius divini *efficaciam* atque *virtutem* videbi-

debimus, sine qua nec peccatores tolerari, nec reprobi, quin imò ne ipsi quidem Diaboli vel ad momentum subsistere possent, cum omnis viarum Dei ratio sive in exercenda misericordia sive in demonstranda justitia in divino isto personarum divinarum foedere jam ab æterno concepta atque decreta fuerit.

XLIX.

F. Sed quæritur hîc; Cur Filius Dei in specie *Novi Testamenti Sponsor* dicatur, cum tamen sponsor jam fuerit in æterno illo Pacis Consilio, & à Veteribus jam tanquam sponsor agnitus fuerit? Huic quæstioni occasionem dedit & *Socinianorum Error*, qui qualemcunque sponsonis Christi virtutem ad sola Novi Test tempora restringunt, & locus Hebr. 7. v. 22. ubi Christus vocatur κρείττονος διαθήκης ἑγγυος *melioris testamenti sponsor*, & eodem sensu Hebr. 8. v. 6. κρείττονος διαθήκης μεσίτης *melioris Testamenti Mediator*: at verò per κρείττονα διαθήκη *Novum Testamentum* hîc intelligi nullum est dubium, quod illud est, quod post Christi demum τελείωσι exequendum erat. Verùm Nos respondemus, quòd *melioris Testamenti Sponsor* signatè hîc dicatur Christus, non quòd non antea quoque sponsor fuerit, non quòd non agnitus quoque fuerit tanquam *Sponsor Testamenti æterni* in universo illo gratiæ consilio: sed quia eo tempore & illo actu, quo universum Dei propositum justificavit Filius, sigillatim quoque confirmavit & justificavit eam propositi divini partem, quæ signatè quoque *Novi Testamenti* nomine designatur. Ita γεγενη factus est Filius *Sponsor Novi Testamenti*, qui jam sponsor erat omnis Testamenti: quinimò virtute æternæ sponsonis necesse erat, ut fieret aliquando *Sponsor Novi Testamenti*: Quando *Jehova* fit id quod est, non ideò ab æterno non fuit. *Qui Sa-*



cerdos in tempore Aaronidarum successor factus fuit,
ab ævo tamen omni Sacerdos esse potuit secundum or-
dinem Melchisedek. Hebr. 7. toto.

L.

Filium autem jam olim tanquam *Sponsorum* agni-
tum quoque fuisse docet amicorum Jobi sapientissimus
Elhu, Job. 33. v. 23. 24. 25. 26. 27. 28. Hinc quoties in
angustias redacti erant Patres *προσπαινοτες* qui antea spe-
raverunt, h. e. qui ante adventum Christi fuerunt cre-
dentes, ad *Sponsorum* illum se recipere solebant: *Spon-
de pro me*, inquit Rex Ezechias Esa. 38. v. 14. & David
Psal. 119. v. 22. *in fidem tuam suscipe servum tuum in
bonum*. *Filium* etiam *Sponsorum* esse apud Deum Pa-
trem Psaltes indicavit, Psal. 36. v. 10. *Apud te, ô Pater,
est fons vite*: & quem olim *Sponsorum* agnoverunt Pa-
tres, eum idem quoque omnis mali averruncum ac cly-
peum omnisque boni atque salutis omnis causam agno-
verunt, Psal. 7. v. 11. & 20. v. 5. 6. 7. & 23. v. 5. & 25. v.
5. & 27. v. 1. 9. & 65. v. 6. & 45. Hinc Jacobus bene-
dictionem Angeli assertoris suis apprecatur, Gen. 48. v.
16. coll. cum Exod. 23. v. 21. Hinc toties petunt Sancti:
Exaudi nos propter nomen tuum, Psal. 25. v. 11. & 34. v. 4. &
44. v. 6. & 79. v. 9. Ezech. 34. v. 23. Dan. 9. v. 17. & 10. v. 13.

Ll.

Hanc etiam *Filij Sponsionem* sub Veteri Testamen-
to jam validam supponunt omnes *gratia promissiones*,
quæ in Veteri Testamento passim occurrunt: aliàs
enim *Filius* nec ut *Angelus* nec ut *Angelus fœderis*, nec ut
Angelus faciei, nec ut *rupes salutis*, nec ut ipsa *salus*, nec
ut *mulieris* de serpente triumphaturum *semen*, nec ut
unctus *Jehova* observari potuisset Veteris illius Ecclesiæ
fidelibus, nisi *Sponsionem* illam in se suscepisset. Neq;
etiam

etiam ullam *Salutis* spem concipere potuisset Homo peccator absque contumelia & abnegatione justitiæ divinæ, nisi *Sponsor* aliquis, quinimò nisi *hic præcisè Sponsor* & non alius intervenisset: neque enim alius erat apud *Patrem* ab æterno præter *Filium* & *Spiritum Sanctum*: & qui non esset *Jehova*, *Sponsor* seu *Salutis rupes* existere non potuisset Deut. 32. neque *Sacerdos* esse poterat nisi is, in quo *vis* esset *vite indissolubilis* & *Spiritus æternus*, Hebr. 7. v. 16. & 9. v. 14. Atque hæc de *Sponsione Filij* dicta sufficiant.

LII.

2. Restat adhuc inter *Filij partes*, quas in æterno illo *Pacis pacto* considerandas diximus, ipsa *Restipulatio*, quâ *Christus Sponsor* obedientiæ suæ mercedem jure à *Deo* postulavit: undè *Scriptura* eam *Filij postulationem* vocat, de qua *Psal.* 2. v. 8. *Postula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam fines terræ.* Sicut enim *Deus Pater* à *Filio* solutionem *שנן* exegit *Esa.* 53. v. 7. ita *Filius* eadem præstita jus acquisivit *למשנן* postulandi hæreditatem & mercedem sibi promissam: ut dicere possit ex *Esa.* 49. v. 5. *פעלתי* opera mea pretium apud *Deum meum*: huc etiam facit quod legimus *Esa.* 53. v. 10. 11. 12. *Si posuerit animam suam sacrificium, videbit semen &c.* vid. etiam *Phil.* 2. v. 9. undè patet, *Sponsionem* illam & redemptionem *Filij* habuisse rationem veri meriti etiam ex condigno: nihil enim hîc ad ejusmodi meritum defuisse videtur; idemque evincunt variæ illæ formulæ ac phrasæ in locis illis adhibitæ: *Si posuerit animam: propter laborem: כבן* propterea: *תחת אשר* ejus vice *Esa.* 53. v. 10. 11. 12. *διὸ propterea* *Phil.* 2. v. 9. *כן* *לכך* propterea *Psal.* 45. v. 8. *Remuneratio* verò ista sive *μισθοδοσία* vel *Retributio* mercedis *Christi* pro cumulationi merito

& dignitate ejus Θεανθρωπην cumulator quoque fuit & supra mercedem communem vitæ æternæ atque cœlestis ἰσοτιμον sibi & merito suo quæsitam; ita enim eum vitæ gloriosæ gradum promeritus est, qui ipsi ut Ecclesiæ capiti in se & à se in communione corporis mystici omnibus & singulis membris justitiam, vitam & gloriam præstanti supra consortes suos conveniebat. Hanc autem gloriosam capitis prærogativam & eminentiam, licet χάρισει usu nostram, κτήσει tamen seu possessione sibi quoque ex fœderis novi per ipsum confirmati conventionem eximiam promeritum fuisse non omninò videtur esse negandum.

LIII.

Neque obstare videtur χαρίζεσθαι, Phil. 2. v. 9. quod non semper gratis aliquid & sine merito dare significat; adde quòd in toto isto pacis consilio gratia divina mirum in modum eluceat. Quicquid sit, Merces ista à Filio postulata Δόξης hoc est Gloria nomine venit Joh. 17. v. 1. 4 5. Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut & Filius tuus te glorificet: Ego te glorificavi in terra: opus perfeci quod mihi dederas ut facerem: Glorifica me Pater apud te ipsum ea gloria, quam habui antea quam mundus existeret. Hæc autem Gloria distinctè considerari debet 1. in Deitate, quæ quidem nullius propriè incrementi capax, sicut tamen Deitatis gloria per exinanitionem nonnihil obscurata fuit, ita per exaltationem illustrior facta magis resplenduit, Hebr. 1. v. 3. 2. In Humanitate, in qua Filij gloria multis gradibus aucta fuit, in statu præcipuè exaltationis. 3. In tota persona, quatenus Deus eam υπερήλωσε superexaltavit, dando ei nomen super omne nomen Phil. 2. v. 9. eumque collocando super omne imperium, potestatem, potentiam & omne nomen, quod nominatur non in hoc tantum, sed

sed & in futuro sæculo Eph. 1. v. 21. ita Ecclesia ipsi data est in *peculium*, *semen* & *hereditatem* Plal. 2. v. 8. Elaj. 53. v. 10. Heb. 1. v. 10. atque ipse vicissim Ecclesiæ à Deo datus est caput super omnia Eph. 1. v. 22. accepta potestate omni in cœlo & in terra. Matth. 28. v. 18.

LIV.

VI. Postquàm ita, quinam fuerint in Pacis fœdere actus Patris & Filij fœderales, paulò fusiùs explicuimus, sexto jam loco juxta §. XXVII. ostendendum nobis superest, *Quanam fuerit conditionis à Filio Sponsore promissæ præstatio*. Ubi simpliciter observandum, eam revera præstitam fuisse, atque præstari adhuc toto illo tempore, quo æternum illud Consilij divini propositum executioni mandatur. Atque huc pertinet omnis illa *Viarum Dei* consideratio in *Creatione* & *Gubernatione* rerum omnium & omnium sæculorum: ita sanè primum *Sponsoris* opus & prima propositi gratiæ triunius Dei executio non ita absurdè à nonnullis statuitur ipsum *Creationis* opus: ita deindè eò referenda omnis illa mundi *Conservatio ac Gubernatio* per varia Dei cum humano genere *fœdera* sive *operum* sive *gratiæ*, variasque *fœderis gratiæ economias*: ita eò quoque pertinet totum *Redemptionis* opus. in quo conditionis illius à Filio Sponsore promissæ præstatio quàm maximè elucescit: ad quam pertinet 1. Prima hujus operis delineatio atque promissio *Protoplastis* facta in primo illo Evangelij verbo. Gen. 3. v. 15. quam insecuta est mundi per peccatum corrupti *Conservatio ac Gubernatio*. 2. Propagatio doctrinæ salutaris variâq; quæ eam comitabantur *Justitiæ* & *misericiardiæ diviniæ* specimina in Ecclesia primitiva *Patriarcharum*. 3. Doctrinæ salutaris & operis illius *Mediatorij* à Filio Sponsore præstandi per varias *Legis Cere-*
monias

monias præfiguratio. 4. Horum omnium per addita varia *Prophetarum vaticinia* ulterior explicatio, quæ omnia à Spiritu Christi profecta Scriptura testatur 1. Pet. I. v. II. 5. Secutum tandem fuit operis illius Complementum, quando Filius Dei in *plenitudine temporis* assumpta servi formâ seipsum exinanivit usque ad mortem Crucis omnesque Sponsoris partes adimplevit, quæ pro æterno illo pacis consilio ipsi adimplendæ fuerunt. Ita reverà præstitit Filius Sponsor, quod ab æterno spondere non potuit alius quàm ipse Dei Filius; Quod autem solus hic Filius spondere potuit, id solus etiam potuit præstare: nec etiam *Sponsionem* semel datam deserere potuisset; ut absurdi omninò ac temerarij sint *Remonstrantes*, qui hanc *Sponsionis Filij certitudinem* in dubium vocant.

L V.

Hiscæ ita explicatis totum illud *Pacis Consilium* Patrem inter & Filium à Zacharia Propheta in textu nostro laudatum manifestum evadit: ita tota *Fæderum Divinorum* ratio, omnisque *fæderis gratia œconomia* sub *promissione* & sub *Veteri & Novo Testamento* eò magis elucescit: ita omnis hæc explicatio haud exiguam lucem inferet omni de *Testamentis divinis* doctrinæ: hinc enim quæ *Testamenti illius æterni*, quæ *Veteris*, quæ *Novi Testamenti* ratio fuerit, haud obscurè patebit: hinc ea, quæ de *Electiōe Gratuita*, de *Sponsione & Satisfactione Mediatoris* traduntur in Ecclesijs nostris Orthodoxis non parùm explicantur: quinimò tota quoque illa de *Redemptionis Opere Mediatorio* doctrina multiplici modo confirmabitur. Hoc unum jam restaret, ut varios etiam ex explicata hæctenus de *Consilio Pacis* doctrina eliceremus *usus practicos*: Sed ad vitandum ulterioris prolixitatis tædium, filum hîc abrumpimus, finem hîc imponimus, eosq; qui prolixius hæc omnia explicata & ad usus practicos applicata desiderarent ad Authores Practicos ablegamus: Triuni autem Deo, cujus æternum *Pacis Consilium* quâ protuimus brevitate hæctenus explicuimus, gloria sit, laus & honor omnis ex toto illo salutis opere, nunc & in sempiterna sæcula. Amen,

F I N I S.

